


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

5541 (2)

CAROLI ROMATETI

BAYONENSIS DOCTORIS MEDICI

CRISIOLOGIA MEDICA

C. B. SIVE D. M.

DOCTRINA DE MORBORVM

Iudicationibus, in duos libellos diuisa, quorum alter est de crisibus, alter verò de diebus criticis.

EDITIO SECVNDA.

NVNC RECENS RECOGNITA, OMNIbus mendis repurgata, & multis additionibus passim illustrata.


ACCESSIT HVIC SECVNDÆ EDITIONI luculentus *de Peste* Tractatus, ab eodem Authore conscriptus, cum Indice duplici eorum quæ in toto opusculo continentur.

PARISIIS,
Apud NICOLAVM GASSE, Typographum.

M. DC.XXXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1







ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMOQVE VIRO AC DOMINO DN.
ANTHONIO DE GRAMONT,
COMITI DE GVICHE, LEVIVM EQVITVM TVRMÆ PRÆFECTO,
ὑγιαίνειν.



QVOTIESCVMQVE varias quæ apud nos maximè obſeruantur, conſeruandæ prolis normas, alta indagine ſpeculari concedit animus, Comes Illuſtriſſime, *eam certè non* [p]*robare, imo & non magnopere admirari non poſſum,* [q]*ua infirmi, valetudinarii, languidi, aut alio quoli*[b]*et imbecillitatis genere, in primis ætatis ſuæ tempori*[b]*us adacti, & miſellulam, vel, vt dicunt, dimidiam* [t]*antum vitam trahentes infantuli, à parentibus pio* [c]*onſilio & meticuloſa commiſeratione ductis, cœleſti*

ã ij

cuidam numini deuouentur; spe quâdam religiosâ (nec forsan inani) fruentes, natos nempe suos, operoso beatificæ illius cui eos votiuis precibus commendarunt, intercessionis auxilio, imminentius mortis periculum euasuros. Quod autem in aliis cum secreto mentis applausu, tacitâque laude sæpe sæpius euolui, illud ipsum mihi hodierna luce in easdem pæne ac illi genitores angustias redacto, tentandum incumbit: Ecce enim exiguum istud opusculum ex breui de morborum Crisibus, *& recenti* de Peste *conflatum discursu, lucem victitando spirat, innumeros, integræque sui ruinæ minaces defectus balbutiēte recenset stylo, & instar fœtus præmaturi, (quales illi esse consueuerunt qui iunioribus è parentibus ortum duxere) ceu ab imperito adhuc parente producti, nihil certius citiusue quam lacerabundam cuiuslibet lectoris censuram expectat, nisi forte potenti sublimis alicuius Magnatis dextera protegatur. Quapropter legitimos omnium fere proborum genitorum mores æmulatus, & tum insigni honore, cum sperabili fructu stipatam illi tutelam comparare meditatus, non aliam me securiorem, aut mage numeris omnibus optatis absolutam, non dicam assequi, sed ne animo quidem concipere me posse existimaui, quam si illi sub fauente tuæ susceptionis parmâ subsistere, per generosissimam tuam humanitatem liceret. Quemadmodum enim beatæ defunctorum animæ, quæ cum choro cœlesti excelsiorem Aulam incolunt, summo sunt Re-*

rum omnium Regi pergratæ, atque insuper indefessis sanctimoniæ suæ motibus, diuinam illius Maiestatem laudibus imparibus & immensâ gloriâ prædicantes, miserorum tamen mortalium, aut proprias aut suæ sobolis ærumnas clamitantium, petitionibus interdum adhærere non desistunt, haud secus te, Comes bellicosissime, *in sanctioribus vitæ moribus educatum, omnium umque virtutum splendore coruscantem, benignum illum, quem à tuâ magnificentissimâ mansuetudine supplex exposco, fauoris afflatum, nequaquam denegaturum, ausim sperare, quanquam & prægrandes te, reique publicæ non necessarias minùs quam vtiles functiones, in almo Christianissimi Regis nostri Ludouici Iusti conspectu, subque beneuolo illius aspectu, continuis laboribus fœliciter edidisse, nemo prorsus in celeberrima quã quotidie accedis Regiâ, non fateatur. Sed quid nostrates tantum rerum à te præclarè gestarum testes compello? Nonne simul & exteræ Nationes, Sabauda, Itala, Germana, tum perfectam iudicij tui, iuuenili sub ætate (velut sub herbâ viridi prudentissimus anguis) latitantem maturitatem, & spectantium omnium acclamatione dignam Magnanimitatem tuam, multis in certaminibus suo sunt expertæ damno? Quoties te Casalium, quoties te Mantua in infensiores illius hostes strenuis nimium cursibus irruentem, eorumque cohortes hâc illâc dilanientem, cum metu simul & stupore vidit? Verum imperfecta videtur gloriæ cuiusuis*

corona, si vnius duntaxat speciei floribus fuerit adornata; quod cum perspicaci (sicuti soles omnia quæ sensui tuo subijciuntur) dignoueris ingenio, non Marte solummodo, sed & arte quoque nomen insignire, non es dedignatus: ita vt vbicūque virtutis leges [quæ repulsam à geniis clarioribus pati nesciæ sunt] id exigere iure stricto videtur, de rebus Philosophicis Theologicis, Mathematicis, Astronomicis, & aliis eiusmodi scietijs, artibus, ac disciplinis, sublimi eloquio disserere minimè graueris. Quod cū olim apud me perpenderim, eximio te sacram Heliconis Cateruam ter trino Virginū numero conflatam, amore prosequi, nec Apollinis minùs quam Mauortis, Mineruæ quam Palladis, genuinum Alumnum nuncupandum, atque illico lucubratiūculam hancce meam, tuæ Nobilissimæ dignitati iure merito consecrandam, esse duxi. Cæteras enim quæ me tuo penitus obsequio deuinctum tenent, causas, (ne plus Celsitudini tuæ fastidij, quam debitæ obseruantiæ deferam) pauido silentio prætermitto: nimirum quod me longè indignum suaui peroptabilis beneuolentiæ vultu iamdiu respicias; & quod Illustrißimus Dominus Pater tuus Nauarræ & Benearniæ Pro-rex meritißimus, succinctum flosculorum Medicorum Sertum, illi ante aliquot annos à me dicatum, gratißima manu susceperit: atque etiam quod ab eo tempore, primo aduenturos ingenioli mei fructus, me tibi oblaturum, intensißimo animi studio decreuerim. Quod si istos benignè tibi forte con-

eigerit excipere, preterquam genium ad grandiora in bene placitum tuum adstruenda vellicabis, in omnibus quæ de meo erunt modulo paratißimum me semper necnon promptißimum habebis.

Dat. Lutet. Parisior. Die 30. Mart. Ann. 1635.

Tuæ Illustrissimæ Generositati addictissimus, obsequentissimus.
CAROLVS ROMATETVS.

ã iiij

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



AVTHORIS
AD LECTOREM
PRÆFATIVNCVLA.



Vamquam ista quam euoluere moliris Crisiologia, beneuole Lector, paucillos in pristinâ & iam à decẽ annis elapsâ luce, consequuta fuerit assertores, censores verò, procul dubio, quamplurimos; nihilominus in medium de nouo prodire non erubescit, imo potiùs eandem iamdiu mendis, quæ in primâ impressione contigerant, omnino liberam, & fidelioribus, quam antea potuerit, typis subiici gestientem, non diutiùs retinendam esse, conscius ipse iudicaui. Illud autem non abs re, sed multis rationibus ductus, iniui consiliũ: quarum prima est, amicorum quorundam id à me postulantium desiderium, qui cum me illam ad vnguem percurrisse, correxisse, & multis in locis luculentiorem reddidisse cognouerint, ita publico vsui denuo dandam esse, sæpissime suaserunt. Secunda, quod aliquid à me

antehâc ſedulò conſcriptum haberem, eius calci ſubne-ctendum. Tertia, vt in nitidum ſtatum reſtituta, tum mihi metipſi, cum quibuſlibet illam inſpecturis gratior, imo & fortaſſis vtilior quam olim fuerit, appareret. Poſtrema, ad vitandam omnis generis famæ diminutionem, quæ mihi, ex repertis à Lectore quamplurimis in eâ Typographicis erratis, aduenire (etſi nullo iure) potuiſſet, ſi forte ſub primâ illâ ſordidâ facie, in denigrantes mordacis cuiuſdam Zoïli manus incidiſſet. Siquidem dubium non eſt librum quemlibet, de quâcumque materiâ etiam diſertiſſimo ſermone pertractantem, faſtidioſum potius parere tædium, quam vllam animi iucunditatem, aut exoptatum expectatumque ex euolutione aſſiduâ progreſſum, ſi crebro ſplaſmate inter imprimendum incautè commiſſo diſſitum comperiatur. Hinc enim ſublimiorum rerum, ab Authoribus probè conceptarum, doctèque deſcriptarum, non raro contemptus oritur vniuerſalis: hinc variæ in illos imprudentium hominum, atque ad aliorum conatus atterendos, ſugillandaque eorum opera, hirſutè accinctorum, tum priuatæ, tum maximè publicæ increpationes exurgere, eoſque graui (ſed iniquâ, ſed ferinâ, ſed lupinâ) cenſurâ plectentes vexationes, erumpere conſueuerunt. Quod mihi aliquando malum, à viperino miſelli cuiuſdam (verum ſuperciliosi) Philoſophantis ore fuit inflictum, ita vt cum abſurdas, quibus in laborem meum debacchari videbatur, criminationes audiuerim, veracibus eas rationibus, illico adductis, euincere coactus fuerim, & Peripateticum illum Α᾽δόλεχον in tutiorem ſilentij Pythagorici Scholam ablegare. Atque hæc, Lector candide, tibi de iſtâ Criſiologiâ præfanda

esse duxi, antequam te oculos illi præbere sinerem. Quod attinet ad paucas illas lineolas quas me isti secundæ Editioni adijciendas apparasse, sup. a dixi, non aliud illæ sunt, & videbis, quam accuratus *de Peste* Tractatus; quem equidem, nec diffiteor, post innumeros, qui de illo morbo doctissima scripta prodiderunt, exercitatissimos Authores, exponere me debuisse, neutiquam videtur. Verumenimuerò cum scientia quælibet, & (vt ab vniuersalibus ad particularia descendam) affectus cuiusuis præter naturæ ordinem constituti cognitio, eiusdéq; curãdi ratio singulis diebus magis ac magis per ingeniorum meditationẽ, Medicæque praxis experientiam expoliatur, atque rectior dilucidiorque euadat; non mirare, quæso, si quæcumque materiam illam spectantia, proprio experimento, vitæque periculo non exiguo, multis in locis ac regionibus addiscere potuerim, etiam ab aliorum qui de ipsâ disseruêre scriptorum sententiis discrepantia, in lucem edere voluerim, aut si quam inde vel mirandi, vel animo hæsitandi ansam conceperis, vide priores tres aut quatuor Tractatus prædicti pagellas, atque singula mea hæcce molimina, quæ non alium scopum quàm Dei Optimi Maximi gloriam, tuamque, & vniucuiusque hominis vtilitatem respiciunt, æqui bonique consule, & Vale.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



ΕἸΣ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ ἸΑΤΡΟΝ

Καρολὸν Ῥωματῆτον, περὶ αὐτοῦ τοῦ
τῶν Κρίσεων Βιβλίου.

Φεύγετ' Ἀρίσταρχοι πάντες, καὶ ἔρρετε ῥάβδοι,
Πάντα τε τῆς κριτικῆς στίγματα, καὶ ὀβελοί.
Τοῦτο γὰρ ἀμφὶ νόσων κρισίων λογοδαίδαλον ἔργον
Ὡς κρίνοντος ἐμοῦ, εἰς κρίμα μηδὲν ἔβη.
Εὖγε σοφῆς κρίσιος καὶ μὴν ἔρρωσο, μαθητάς
Ῥωματῆτ' ἕξεις πλείονας, οὐδὲ κριτάς.

Id est,

AD CLARISSIMVM MEDICVM Carolum Romatetum, in suum de Iudicationibus Librum.

Cedite Censores, vestræ pereantque lituræ
Omnes, & Critices stigmata, puncta, obeli
Hic de Iudiciis morborum sermo disertus
Iudice me nullum iudicium metuit.
Iudicio tutus sis Romatete, docebis
Quamplures, iudex sed tibi nullus erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Ἄλλο.

Εἰς τὸν περὶ λοιμοῦ λόγον.

Ῥωματῆτ' ἐκ σῆς σοφίας ἐῤῥώμεθα πάντες
Ὃς διὰ δεινὰ κακὴν φάρμακα νοῦσον ἐλᾷς.
Αἴτια δ' ἐκφαίνων λοιμοῦ, πραπίδεσσιν ἀλέξεις
Ἐξ ἡμῶν νεφέλην, παμμέγα φέγγος ἄρων.
Ὡς φοῖβος, λοιμὸν, καὶ πάντα μιάσματα φεύγεις
Οὕτως οὖν σέλας ἦν τῆς δὲ βίβλοιο σέλις.

Id est,

Aliud in Tractatum *de Peste.*

Ars tua Romatete orco nos eripit, artis
Quanta tua est Pestem quæ Panacęa fugat.
Dum pestis Causas aperis, de pectore nubem
Discutis, & nobis maxima lux oritur.
Vt Sol, pestiferam tabem, & contagia pellis,
Hocque libro sunt tot lumina, quot lineę.

Carolus L'Empereur, Parisiensis, φιλιατρός.

Viro Clarissimo Domino Carolo de Romatet, Doctori Medico insigni, in suam Crisiologiam.

Dum nos vera doces signis prę dicere, signum est
Te posse insignis signa referre viri.

Eidem in Librum *de Peste.*

Qui potuit Pestis *vitare pericula, quidni*
Liuoris morsu vindicet istud opus?
Esto procul Pestis, *liuor simul inde recede,*
Doctrinâ hic multâ nam datur vna salus.
Hęc fuit in causâ vt fugeret discrimina mortis
Author, ab inuidiâ proteget ipsa librum.

Iacobus Chatrefou Lajuganiere
Sanlaudensis, Doctor Medicus.

Ad Clarissimum virum Dominum Carolum Romatetum, Doctorem Medicum, ob suum *de Peste* Librum.

Peste *laborantem Medicis olim artibus vrbem*
Seruasse, est animi gloria magna tui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

His scriptis orbi te nunc impendere curam
Cernimus, & magni signa dare ingenij.

Martinus ΑΚαΚια Parisinus, φιλιατρός.

AD LECTOREM

In Tractatum *de Peste* Clarissimi viri Domini Caroli Romateti Doctoris Medici.

EPIGRAMMA.

Victor adest, victâque refert ex Peste *trophea;*
En tibi queis vincas porrigit arma liber.

Petrus Mallés S.S. Theologiæ Candidatus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



CAROLI ROMATETI BAYONENSIS DOCTORIS Medici, crisiologia Medica.

siue

DOCTRINA DE MORborum iudicationibus.

LIBER PRIMVS.

In quo agitur de crisibus.

DE CRISEΩS NATVRA & essentiâ.

CAPVT PRIMVM.



CRISEΩS Natura & essentia, beneuole Lector, in verá eius definitione consistit, quam antequam aggrediamur, vocis acceptiones varias, ex summorum authorum effatis



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

a In libris de crisib. & di eb. critic.

prodere, huiusque varietatis difficultatem, si quæ sit, excutere, necessum esse statuimus: Vt scilicet discussâ vocabuli ambiguitate, ad genuinam illius significationem peruenire, & completam inde definitionem elicere liceat.

b Lib. 1 de dieb. decretor. capitib. 1. 2. 8. 9. 10. 11. 12. & commentar. in sec. 2. lib. 1 epid.

Crisεως itaque dictio merè græca, ἀπὸ τοῦ κρίνειν, id est iudicare, deriuatur: ita vt idem planè sonet quod iudicium, sicuti apud *a* Hippocratem passim, vt ex fideli Foesij versione patet, atque apud *b* Galenum & *c* Fuchsium videre est. Vel etiam idem quod *indicatio* in abstracto, vt *d* Galenus docet. *Crises* inquit iste, de subitaneis quæ in morbis fiunt permutationibus disserens, *Hippocrates vocat illas, id est indicationes.* Ita solet ille Hippocratis mentem explicare, vt κρίσιν in iudicationem vertat *e* ὁκόσοισι κρίσις γίνεται, τούτοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ. Galenus vero sic, quibus crisis, id est iudicatio, contingit, ijs nox grauis ante accessionem: Foesius vero, quibus iudicatio contingit, &c. Verum enim vero siue iudicium siue iudicationem dixeris, (neque enim aliud discrimen inest, quam quod inter functionem & opus: nam quemadmodum *f* *opus ex functione resultat*, ita & ex iudicio, quod naturæ actio est, opus eximium, nempe sanitas, aut mors, aut status proximus procedit:) certum est illius origi-

c Cap. 1 sec. 2. lib 4. instit. medicar.

d Comment. in prognos. 1. lib. 3. prognostic. & comment. in aph. 23 sec. 2.

e Aph 13. sec. 2.

f Fuchs. c. 1. s. 7. l. 1. Instit. medic.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

nem Galenum ipſum turbaſſe: ſi quidem g *nullum Medicorum primum id nomen inueniſſe fatetur*, cum tamen, quis illius fuerit adinuentor, non addat.

g *Gal. cap. 2. lib. 3. de criſib.*

At vero veriſimile eſt, eiuſmodi vocem ex foro in medẽdi vſque artem fuiſſe deductam, quod etiam aſſeuerat h Galenus, nec abſque ratione: quemadmodum enim in forenſi iudicio tria obſeruantur, actor ſcilicet, reus, & iudex, vt notat i Sichardus: *quamuis*, inquit, *iudicij nomen variè accipiatur in iure, vt eſt in gloſſ. in verb. iudic. §. inſtit. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam. tamen propriè accipitur pro ſubſtantiâ cauſæ apud iudicem diſcutiendæ: ita vt definiri poßit, actus trium perſonarum in iudicio contendentium, vt innuit textus in capite forus ext. de verbor. ſignificat.* Quæ definitio k *ſumpta eſt à communiter accidentibus, plerumque enim tres perſonæ in iudicio interueniunt, videlicet actor, reus, & iudex.* Nihiloſecius in noſtro accidit: etenim morbus, actoris perſonam agens, naturam, quæ rei vicem gerit, accuſare & deſtruere nititur: hæc, cauſam propriam pro viribus tueri, illumque turpi ſæuitiâ conuincere, necnon longinquum in exilium abigere contendit. Tunc vocatus & optatus accedit Medicus, naturæ perſcrutator, morbique perexactus indagator, qui illius vires cum iſtîus vehementiâ, æquâ lance, & diligenti trutinâ perpendens, tum

h *Cõment. in prognoſ, 1. lib. 3. prognoſtic.*

i *Enarration. in lib. 3. cod. de iudic.*

k *Sichard. in eâd. enarrât.*

præsentem euentum pronuntiat, tum maximè futurum prenuntiat iudicium, atque ita veri iudicis subit locum, init officium. Hæc porro iudicij Medici cum Forensi analogia, Amato Lusitano non displicet, imo ipse nostras easdem tres personas introducit: l *Medicus*, inquit, *velut iudex residet in tribunali, ante quem duo litigantes accedunt, morbus scilicet & natura.*

l Libel. de cris. & dieb. decretor.

Secundo sumitur, κρίσις, pro separatione. Dixit m Galenus γίνεται δὲ κρίσις τῆς φύσεως &c. interpretatur Leonicenus, fit autem crisis, naturâ separante à bonis mala.

m Côment. in aph. 12. sect. 2.

Tertio, pro quouis naturæ motu & conatu, teste n Hippocrate: ταῖς δὲ inquit γυναιξὶν αἱ συλλήψιες τῶν ἐμβρύων, καὶ οἱ τρωσμοί τε καὶ τοκοί, ἐν τουτέῳ τῷ χρόνῳ κρίνονται, ἐν ὧπερ αἵ τε νοῦσοι, καὶ αἱ ὑγίειαι, καὶ οἱ θάνατοι τοῖς σύμπασιν ἀνθρώποισιν. id est, mulieribus vero fœtuum conceptiones, & abortiones & partiones, eodem tempore iudicantur (hoc est mouentur, ita volente doctissimo o Laurentio) quo & morbi, & sanitates, & mortes, cunctis mortalibus (contingunt.)

n Libel. de septimest. part.

o Cap. 2. lib. 1. de crisib.

Quarto, quamlibet morbi solutionem quouis modo factam denotare creditur. Hippocrates de ęgri qualitatibus verba faciens, acceptionem istam suppeditare nobis videtur. ἣν μὲν οὖν p ait ἐν ἀρχῇ τῆς νούσου τὸ

p Prognos. 11. lib. 1. prognostic.

πρόσωπον τοιοῦτον ᾖ καὶ μήπω οἷον τε ᾖ, τοῖσιν ἄλλοισι σημείοισι ξυντεκμαίρεσθαι, χρὴ μὴ ἠγρύπνησεν ἄνθρωπος, ἢ τὰ τῆς κοιλίης ἐξυγρασμένα ᾖ ἰσχυρῶς, ἤ λιμῶδές τι ἔχη αὐτὸν, καὶ ἢν μὲν τι τουτέων ὁμολογῇ, ἧσσον νομίζειν δεινὸν ἐιναί. κρίνεται δὲ τὰ τοιαῦτα ἐν ἡμέρῃ τε καὶ νυκτὶ, ἢν διὰ ταύτας τὰς προφάσιας τὸ πρόσωπον τοιοῦτον ᾖ. id est, si itaque per initia, eiusmodi facies fuerit, neque adhuc ex aliis signis conijcere potueris, interrogare conuenit, num æger vigilauerit, aut aluus admodum liquida fuerit, aut eum inedia aliqua oppresserit: quod si æger aliquid horum fateatur, minus formidandum esse existimes: dijudicantur autem ista, (& hoc est quod propositum nostrum tangit) die ac nocte, si ex his causis eïusmodi facies fuerit. Vides igitur, κρίνεται δὲ τοιαῦτα inquit: potest & per λύεται significari, quod vno die finitur, vt q Foesio & r Celso placuit. Hęc, etsi ab exercitatissimis experientissimisque viris prolata, crudiora tamen sunt quam vt à tyrone & rerũ imperito, (qualem me profiteor) non dicam concoqui, sed ne degustari quidem libenter posſint. Ad quid enim criseως nomen cuilibet morbi solutioni tribueret Hippocrates, cum tale, non nisi illi quę per subitam ac repentinam actionem expromitur, æquo iure debeatur? Sanè duo sunt præcipua solutionum

q comment. in prognos. xi. lib 1. pronostic.
r cap. 6. lib. 2.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

genera quibus morbi maximè terminantur, inter ſe toto marte diſcrepantia: aliæ enim ſubitaneo ac veluti præcipiti motu, aliæ paulatim ac pedetentim fiunt, vt egregiè *ſ* Fuchſius: priores, propriè loquendo, criſes nuncupari debent, poſteriores vero, λύσεις tantum, de quibus vide *t* Hippocratem & *u* Galenum. Quod ſi iſtæ criſεως vocem deſignare vnquam debuerint, debebunt & omnes pari ratione, mutationum quæ in morbis fieri ſolent differentiæ, quæ quidem ſex à *x* Galeno notantur: vnde eximia orire-tur in ſtudioſorum animis confuſio, & in eorundem mentis oculos, in inueſtigandis Medicinæ præceptis directè attentos, denſa ſuffuſio irreperet. Propterea *y* Hippocratis locum de verâ criſi intelligi malo, quam de quâuis morbi ſolutione: tametſi, vt refert *z* Laurentius, definiatur criſis ab *a* Hippocrate ἀπόλυσις νόσου: ſiquidem ἀπολύσεως vocem, non per ſolutionem quamlibet, vt ille, ſed per diſſolutionem, quæ aliquid ſubiti & vehementis (quod ſolutio ſimpliciter non item) denotat, cum interprete Foeſio vertendam cenſeo. Diſtinguendum enim eſt inter λύσιν & ἀπόλυσιν, inter λύειν & ἀπολύειν, vt ſatis ex textu patet, *b* κρίσις δὲ, inquit, ἀπόλυσις ἐστὶ νόσου, μικρὴ δὲ αἰτίη ἄκεσιν λύεται, id eſt, criſis eſt morbi diſſolutio, parua vero cauſa cura-

ſ Lib. de Iudic. cap 1.
t Lib. de nat. homin.
u Cōment. in aph. 25. ſec. 2. & cap. 1 lib. 3. de criſib. & cap. 1. lib. 1. de dieb. decretor.
x Cap. 1. lib. 3. de criſib.
y Prognoſ. xi. lib. 1. prognoſtic.
z Cap. 2. lib. 1. de criſib.
a Libell. de præceptionib.
b Hippocrat. ibid.

tione ſoluitur. Hinc patet ſapientiſſimum ſenem vocabulo illo compoſito non vti, niſi cum aliquid velocius decernit, vt hic ἀπόλυσις &c. neque ſimplici vt λύεται, niſi ad deſignandam ſolutionem paulatim factam, qualis ea eſt, quæ paruæ cauſæ curationem aſſequitur. Denique vt chronici morbi per λύσιν, ita acuti tantum per ἀπόλυσιν ſeu κρίσιν finiuntur. Vniat qui voluerit diſcrepantes iſtas de ſolutionibus opiniones: ego interim ex eiuſmodi labyrinthi ambagibus animum extrico, vt ad reliquas criſeως acceptiones me conuertam.

Quinto, accipitur pro turbatione quæ criſim antecedit: verum illa, non criſis ſimpliciter, ſed cum adiectione, deficiens criſis dici meretur. Huius ſic mentionem facit c Galenus de criſibus diſſerens, *quadam cum pluribus & difficilioribus ſymptomatis, & maiore certamine, nonnullæ ſtatim ab initio tuto inuadunt, quod hæ deficientes, illæ perfectæ ſint.* *Iterum* d *ſi quæ vniuerſa fiat permutatio, & multo magis eam agitationem quæ criſim præcedit, criſim appellare conſueui.* Quamuis non tam turbationi criſim præcedenti, quam ipſi criſi deficienti, ſiue *defecta*, vt e ipſe loquitur, hæc acceptio accepta ferri debere videatur.

c *Cap.* 1. *lib.* 1. *de dieb. decretor.*

d *Gal. cap.* 2. *lib.* 3. *de criſib.*

e *Lib.* 3. *de criſibus cap. vltim.*

Sexto & poſtremo, mutationem ſubito ad ſalutem tantum factam deſignat, & criſis ſimpliciter, ſeu per excellentiam dicitur: eo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

sensu vsurpatur à *f* Galeno, vt ex ipsius textu cõprobatur, μόνη τοίνυν ἁπλῶς κρίσις εἰς ὑγείαν ὀξύρροπος μεταβολὴ προσαγορεύεται, id est, sola subita ad sanitatem mutatio, simpliciter crisis nominatur. Aliæ recensentur criseωs significationes, inter quas hæc est, cum pro interitu proditur, vt est apud *g* Hippocraté γλῶσσα γὰρ μελαινομένη, ἐν τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κρίσιν γίνεσθαι δηλοῖ. id est, lingua quæ admodum nigrescit, decimo-quarto (die) iudicationem (id est exitium) vt *h* Laurentio placuit, promittit. Sed de his satis, vereor ne nimis: ideoque ad criseωs definitionem incunctanter propero.

f Cap. 1. & 2. lib. 3. de cris. & cap. 9. lib. 1. de dieb. decretor.

g Prognos. coac. 219.

h Cap. 2. lib. 1. de crisib.

DE CRISEΩS DEFINITIONE.

CAPVT SECVNDVM,

OMnibus ferè hoc vitium est authoribus inter scribendum, vt in tradendis eorum quæ tractant definitionibus, plus falsæ nouitati inueniendæ, quam veteri veritati demonstrandæ, plerumque studeant: ita vt quot capita, tot sensus. Vix enim ens quoduis ab hoc authore descriptum videas, quod ab alio sequente, vanè aliter sentiente, aut sentire simulante, non agitetur, & aliâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

prorſus methodo definiatur : imò eo arrogantiæ prodiêre non pauci, (ô quantum eſt in rebus inane!) vt nihil probè explicatum, nihil concinnè dictum, ſibi perſuadeant, quam quod ipſi inani neſcio cui gloriolæ inſeruiẽtes, ſuperciliosè ex alijs depromptum, temerè truncatum, imprudenter mutatum, & malitiosè innouatum produnt. Criſis tamen noſtra, hocce (licet admodum inter humanos communi) inhumano diſſentionis vitio non eſt inquinata : ſiquidem apud omnes, tum veteres, tum etiam recentiores Medicos qui faciem illius docto penicillo depinxêrunt, huc vſque vnica manet, inexpugnabilis durat, vt infra ex eorumdem oraculis percepturi ſumus.

Primo itaque audiamus quid noſter Hippocrates hâc de re ſentiat, Κρίσις, refert ex Hippocrate i Galenus, ἐστὶν ὀξύῤῥοπος μεταβολὴ ἐν νούσῳ ἥ τε ταχέως γίνεται. id eſt, Criſis eſt ſubita in morbo mutatio repente facta. Non ergo omnis quæ in morbis fit mutatio, criſis erit; ſed ea tantum quæ ὀξύῤῥοπος eſt, & ταχέως fit : vnde patet morborum ſolutiones quæ repente non fiunt nullâ ratione criſium categoriam ingredi, ſed aliam, & ab hâc abſimilem ſibique peculiarem appellationem ſortiri : λύσεις, vt ſupra dixi, vocitantur. Addit k Hippocrates

i Commẽt. in progno. 1. lib. 3. prognoſtic.

k ſec. 3. lib. 1. epidem.

πρὸς ὑγείαν ἢ θάνατον. id eſt, ad ſalutem aut mortem. Quæ particula, neque à ſummo Galeno, qui non minus hoc in loco, quam in reliquis, diuini ſenis mentem ſequutus, eius dogmata nobis quaſi palpabilia reddidit, prætermiſſa fuit: is ſiquidem ſpecificis verbis ait l *criſim ſubitam eſſe in morbo ad ſanitatem vel ad mortem mutationem*: neque etiā à peritiſſimo *m* Laurentio obmiſſa. Atque hæc eſt vniformis Hippocratis potiſſimum & Galeni de criſeως definitione ſententia: quæ tamen alicui anguſtior ſuo definito videri, & imperfectionis inſimulari poteſt, quod perfectas tantum criſes deſcribat, deficientes vero, eas videlicet quæ ad melius aut deterius fiunt, (de quib. poſt hac) intactas relinquat: habet enim, inquiet, ad ſalutem aut mortem tantummodo: habet, concedo: nihil tamen obmittit, quoniam nempe criſes omnes, vel ægrotantis mortem, vel eiuſdem ſalutem producunt: aliæ quidem proximè & immediatè, aliæ vero remotè, mediante mimirum tranſitu in melius aut deterius, de quo ſic *n* Hippocrates δεῖ δὲ προσέχειν τὸν νοῦν, καὶ εἰδέναι, τὰς κρισίας ἐσομένας ἐπὶ σωτηρίην; ἢ ὀλέθριον, ἢ ῥοπὰς ἐπὶ τὸ ἄμεινον ἢ τὸ χεῖρον: id eſt, animum autem aduertere & noſſe oportet, futuras iudicationes, ad ſalutem aut perniciem (hoc eſt, mortem, vt *o* Foeſius exponit) tendere, vel momenta in melius aut deterius

l *Comment. in aph.* 13. *ſec.* 2. *& cap.* 1. *lib.* 2. *de dieb. decretor.*

m *Cap.* 3. *l.* 1. *de criſib.*

n *Sec.* 3. *lib.* 1. *epidem.*

o *Cōment. in eund. text.*

facere. Idem fere profert p Galenus: *aut enim, inquit, per indicationem statim vindicantur ægri à morbis, aut statim moriuntur, aut magnam obtinent in melius mutationem, aut multo deteriores euadunt.* Hanc quoque partem probè attigerunt post Hippocratem & Galenum q Bertinus, r Fuchsius & ſ Amatus: quam tamē omnes, (ne fortaſſis huius noſtræ iam propoſitæ, licet exiguæ, difficultatis ſcopulo illiderent, aut ſoluendæ illius periculum ſubirent) viam cautè corripiendo, nullomodo controuerſam protulerunt, & omne interim punctum ſe tuliſſe exiſtimant, vbi definitionem quamlibet, modo veriſſimam, nuditer tradiderint. Inter illos vltimus, à ſocijs videtur diſcrepare, quod per *motum*, nō per *mutationem* criſim deſcribat: ait enim, t *criſis eſt vehemens & velox ad ſanitatem aut mortem motus.* Sed parum referre puto, an motum, an vero mutationem dixeris: primo quia motus omnis, quædam eſt mutationis ſpecies, ſiue hæc loci, (u *certum enim eſt, motum eſſe tranſlationem quādam ex loco in locum:*) ſiue ſtatus prioris, de quâ ſic x Galenus: *omnibus motibus communis eſt prioris ſtatus immutatio*: Deinde quod mutatio non niſi per motum compleatur: eſt enim tranſitus ab vno ad aliud, quem quidem naturaliter ſine motu perfici, nullâ ratione probari poteſt: Atqui neque iſthæc de quâ agimus mutatio: fit

p *Cōment. in prognoſ. 1. lib. 3. & prognoſt. & in aph. 13. ſec. 2.*

q *Lib. de ſign. prognoſt. cap. 5.*

r *Cap. 1. ſec. 1. lib. 4. inſtitut. medicar.*

ſ *Libel. de introit. medic. ad ægrot.*

Tacda nigra

t *Amat. loc. recenter citat.*

u *Cardan. cap. 47. lib. 9. de rerum variet.*

x *Lib. 1. de natural facultatib.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

enim per humorum è loco in locum delationem & expulsionem. Porro num crisis, quam saltem per motum fieri, nemo negauerit, motum nuncupari debeat, paucis enucleari, non est à proposito remotum: nam credibile est ea fere omnia crisi competere, quæ & motui: quod ex partium examine iamiam elucescet.

y *Arist. lib. 3. physicor. cap. 2. text. 15.*
z *Id. lib. 7. physicor.*
A *Lib. 1. de loc. aff.*

Primo *motus est actus imperfectus, &c.* dictante *y* Philosopho: hunc actum imperfectum, actionem clarius vocauerim, quia quemadmodum in actione, ita & z *in motu edendo, requiruntur agens & patiens.* Vnde A Galenus actionem vocauit motum factiuum. Quod autem crisis sit actio, nemo non stupidus dubitat: est enim naturæ admirabilis actio, quâ homo, quasi in cymbâ Charontis altero pede detentus, à laborioso quo cruciabatur vitæ & mortis certamine, non raro liberatur. Ergo erit & actus imperfectus.

a *Arist. lib. 5. physic. cap. 2. text. 3.*

Secundo, in motu conspiciuntur termini extremi à quo, & ad quem, a *omnis siquidem motus à quodam incipit, & ad quoddam peruenit.* Hi manifestè in crisi apparent, quorum prior nihil aliud est quam turbationis seu accessionis criticæ augmentum *habet enim*, inquit, *b* Galenus, *vnaquæque accessio quatuor partes: principium, augmentum statum & declinationẽ.* Posterior est iudicij finis siue exitus.

b *Cap. 4. lib. 3. de cris.*

Tertio, vt in omni actione, ita etiam in motu (quem actionem dici posse, in superio-

ribus demonſtratum eſt) debet agens quoddam agere, & patiens aliquod pati: vel ſi malueris, requiritur mouens quod moueat, & mobile in quo recipiatur motus. Quæris hæc in criſi? Primum eſt natura, c *principium motus*, præſtantiſſimum mouens, & ſummum agens, vnde à d Galeno *potentißima morborum medicatrix* nuncupata eſt: nec certè, abſque iure: ſiquidem e ἰητρικὴ τὸ λυπέον ἀπλητάσσει, καὶ ὑφ' οὗ πονέει ἀφαιρέοντα ὑγιέα ποιεῖν, ἡ φύσις αὐτομάτη ταῦτα ἐπίσταται. id eſt, ars medica ab eo quod moleſtũ eſt, liberat, & id, ex quo quis ægrotat, auferẽdo, ſanitatem reddit: Idem & natura per ſe facere nouit. Deinde ſolâ illã deſperatis morbis doctiſſimè & efficaciſſimè mederi, docet experiẽtia. Alterũ non ignoras, ſi prius vniuerſum naturæ conatum, in certamine critico, circa humores noxios verſari, quodammodo noueris.

c *Ariſt. lib. 2. phyſ. c. 1. text. 3.*
d Cap. 8. *lib. 3. de criſ.*
e *Hippoc. lib. de ſalub. vict. ration.*

Quarto, non minus in criſi, quam in motu, ſiue actione, (vt adhuc in actionis noſtræ terminis remaneamus) neceſſarium eſt quidam fluxus, per quem actio ab agente in patiens, ſeu motus à mouente in mobile, deriuetur: & hic quidem fluxus, eſt in critico motu temporis illud interuallum, intra quod iudicium inchoatur & abſoluitur: non enim in momento fit, licet ſubito & repente contingat, vt ex allatâ ipſius defi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

nitione colligere licuit: hâc quippe ratione non esset motus, quia f *omnem motum successiuè & in tempore, nullum vero in momento fieri*, certissimum est.

f *Arist. lib. 6. physic. cap. 3. & lib. 4. cap. 14.*

Denique g *in omni motu*, inquit Aristoteles, *mouens mobile attingere, & cum eo coniungi debet*: quod etiam in crisi adesse compertum est. Quid enim clarius in rerum naturâ, quam naturæ cum humoribus morbificis, & horum cum illâ, in crisibus coniunctio & mutuus contactus? Quis, quæso, hos ἀντ᾽ ἀγωνίςας in hâc vitæ & mortis agoniâ, integris se mutuo lacertis amplecti, atque ita quasi luctam inire, donec alter ab altero victus succumbat, nondum exploratum habet? Nemo hercule, nemo inter medicos. Concludamus itaque crisim non modo per motum fieri, vt fixum & ratum apud omnes, sed & verum esse motùm. Cæterum, ne quis mihi litem moueat, quodnam genus motus illa sit, quærendo, num scilicet violentus, an vero naturalis censeri debeat, priusquam disputatiuncula ista claudatur, breuiter aperiendum est.

g *cap. 2. lib. 7. Physicor.*

Motus naturalis h *est, qui fit ab interno principio, nempe naturâ inclinante, & aptas res mobiles faciente ad eum motum suscipiendum*. Violentus vero ille est i *ad quem nihil confert natura, sed vi perficitur*. Horum priorem de crisi prædicari, probabilius est: Etenim hæc fit *ab interno principio*, calore scilicet natiuo: fit,

h *Arist. lib. 4. Physicor. cap. 7. text 67.*

i *Arist. ibid.*

naturâ inclinante, totisque viribus agente: fit, eâdem naturâ *res mobiles faciente ad eum motum suscipiendum aptas*: humores enim morbificos coquit, secernit, & ad expulsionem suscipiendam habiles, atque ita ad motum, puta iudicium, subeundum aptos efficit. Posse tamen violentum dici, ideo videtur, quod per vim eximiam impetũque magnum perficiatur: vim autem illam voco, sapientis naturæ & humoris peccantis, violenter colluctantium, conatus varios diuersaque molimina. Sed debilior est hæc ratio, quam vt nos ab aliâ sententiâ possit auocare, imo nec solutionem vllam mereatur. Est igitur crisis *motus (suo modo naturalis) vehemens & velox ad sanitatem aut ad mortem, aut ad statum proximum.*

DE DIFFERENTIIS Crise*ως*.

CAPVT TERTIVM.

IN Crisi tria potissimum spectantur, à quibus eius differentias desumimus. Primo quidem cum motus sit, (vt fusè dictum fuit in capite præcedenti) & in tempore ideo fiat, tempus in eâ contemplandum venit: vnde alia intempestiua est, quam K Foesius

K *Cõment. in Partic. 7.*

sec. 1. lib. 1. epidem. *Præcocem & præmaturam morbi solutionem* vocat: alia tempestiua, quæ cum coctionis signis se prodit.

Secundo, successum perspicies, qui aliam tibi differentiam suppeditat: si enim faustus, bonam: si infaustus, malam crisim non iniustè iudicabis. Cæterum bona illa, vel perfecta est, cum æger statim sanus euadit: vel imperfecta, cum in meliorem statum tantummodo, non autem subito in salutem transit. Mala itidem, vel perfectè talis est, (licet impropriè, cum mali nulla sit perfectio,) & repente enecat: vel imperfectè, cum ægrum nondum ad orcum, sed in deteriorem, quam antea pateretur, morbi speciem demittit.

Tertio & vltimo, celeritatem perpendes: aliæ siquidem celeriore, aliæ tardiore adueniunt gressu: quod ita fit, ex morborum acutorum, in quibus solummodo apparent, varietate multiplici: hic quippe acutus erit ἐκ μεταπτώσεως siue ex decidentiâ, ille acutus simpliciter, alter peracutus: qui quidem singuli, cum sua cursu diuerso tempora percurrant, idcirco quæ in ijs contingunt crises, aliæ alijs celerius accedere, & fieri consueuerunt. His porro ita succinctè positis, an quid obscuri inibi lateat, scrutarj, ipsasque præsertim crisis differentias reiumere & explanare lubet.

Primo

Primo, quandam crisim intempestiuam esse, iam asserui : *l* Hippocrates nomine προκρίσεως, id est, præiudicationis, & verbo προκρίνεσθαι præiudiciari, vti solet. Fit autem, crudo adhuc existente morbi fomite, naturâque à nimio copiosi vitiosique humoris onere ad certaminis tentamen sollicitatâ, necnon expultrici facultate, ab hinc aut aliunde irritatâ : *crisim enim*, inquit *m* Foesius *cum cruda sunt omnia, ne natura quidem prouocat, nisi onere velut oppressa & submersa, periclitantem humorum gurgitem à se facessat.* Hanc tamen, morbi insultum potius, quam crisim propriè dictam, censeri debere, cum *n* Galeno existimo. Quod ad nudè tempestiuam attinet, fere satis explicatam eam ex dictis habes : adde quod sæpe ab indice quodam die indicatur, quid autem dies index sit, iam non expono, sed ad tempestiuæ crisis differentias recurro.

l Passim in lib. 2. epid.

m Comment. in partic. 1. sec. 1 lib. 2. epid.

n Cap 8 lib. 3. de dieb. decretor.

Secundo tempestiuam crisim in bonam & malam diuisi, vt scias non omnes tempestiuas esse bonas : fit enim plerumque, vt licet indicata fuerit, & coctionis signa quædam apparuerint, necem tamen, aut morbum quam antea deteriorem quendam producat. Vt autem plenam bonæ & malæ cognitionem assequamur, notandum est, tum hanc, tum etiam illam, vel in positiuo (liceat ad rem familiariter demonstrandam, grammatica

claſſicorum verba vſurpare) gradu eſſe talem, vel in ſuperlatiuo, videlicet aliquando bonam ſimpliciter aut malam, nonnunquam optimam, aut peſſimam: hæ ſunt quæ ægrum quaſi ex improuiſo ad ſanitatem aut interitum deducunt, & perfectæ vocitantur: illæ imperfectæ, quæ dum ſtatum proximum, ſiue hic melior, ſiue pejor ſit, conſtituunt, morbum perfunctoriè tantum & obiter iudicatum deſeruiſſe, improbantur. Præterea priores Medico dignoſcendæ & prænoſcendę maximè præcipuèque incumbunt, tum vt ægrotis ſanitatem, (quæ pretioſior auro) victum illis conuenientem, & quæ, quando, qualia, & propter quid oportet, præſidia, conſultè præſcribendo, reſtituat, tum etiam, vt ſi forte res infœliciter ſuccederet, famæ & exiſtimationi ſuæ conſulat, atque ne diffamentur artis præſidia quæ multis fuêre ſaluti: Poſteriores vero, non adeo Medici attentionem efflagitant, ſed ab eo tamen nequaquam negligendæ veniunt.

Criſis itaque ea ſolummodo perfecta cenſebitur, quæ vel peſſima erit, vel optima: hæc non κρίσεως, ſed εὐκρίσεως nomine inſignitur à o Galeno. Vt autem eiuſmodi elogium mereatur, p *debet omnino eſſe cum concoctione, in die iudicatorio fieri, ab aliquo die indice indicata fuiſſe, & motum*

o Cap. 3. lib. 3. de criſib.
p Gal. ibid.

facere morbo conuenientem. Adde his, manifestè per excretionem vel abſceſſum fieri. *Sed melior*, ait q ipſe, *iudicatio quæ fit per excretionem, quam quæ per abſceſſum: deinde in quâ humor noxius, quam in quâ alter euacuatur: poſtea, quæ facile toleratur: quinto, quæ cum concoctione: ſexto, quæ in die decretorio fit: hæc omnia adeſſe conuenit optimæ iudicationi, cui ſi quid deſit, vel plura; neque exquiſita*, id eſt, bona, *neque perfecta fuerit iudicatio.* Ex his autem duobus locis, octo in vniuerſum conditiones colligo, quarum aliæ excretioni commodæ, aliæ vtrique, atque ita optimæ criſi conueniunt: eas omnes ſigillatim attingam, & breui explicatione perſtringere conabor.

q Commēt. in aph. 20. ſec. 1.

Prima eſt, vt ſit manifeſta: r *manifeſtam voco, cui excretio quædam, vel abſceſſus inſignis ac conſpicuus adeſt*: vel ſi malueris, eam quæ fit, ſ *per manifeſtam excretionem vel effatu dignum decubitum*, id eſt abſceſſum, *omnino cum veloci perturbatione*: t γίνεται δὲ κρίσις πρὸς ὑγείαν, πάντως ἐπὶ φανεραῖς τισιν ἐκκρίσεσιν, ἢ ἀξιολόγοις ἀποστάσεσιν. Fit autem criſis ad ſalutem, omnino euidentibus quibuſdam excretionibus, aut effatu dignis abſceſſibus. Etenim quæ aliter euenit, ſiue in melius, ſiue in peius ægrum pro-

r Gal. capite 2. lib. 1. de dieb. decret.

ſ Gal. cap. 7. lib. 3. de criſ.

t Gal. cap. 2. lib. 3. de criſib. & Foeſ. comment. in prognoſ. coac. 150.

moueat, aut non erit crisis, ita docente
nostro u Galeno, his verbis: *eam iudicationem*
u Capite 1. lib. 3. de crisib. *quæ sine magnis excretionibus aut decubitibus non*
fit, crisim non appello: aut erit crisis infida &
imperfecta: x *quo enim solutiones morborum quæ*
x Gal. capite 1. lib. 1. de dieb. decretor. *subito fiunt, fidas esse cognoscamus, excretio quæ-*
dam copiosa, vel abscessus insignis apparebit: nam
qui morbi citra hæc finiuntur, in iis recidiua ti-
menda est. Siue autem per excretionem, siue
per abscessum, iudicetur morbus, debet so-
lum humor noxius euacuari: quod si boni
succi in quibus vis naturæ consistit, vel soli,
vel cum morbificis simul exeant, collabuntur
ægri vires, & sæpissime in medio cursu si-
mul cum vitâ delinquunt. Deinde, siue
excretio sit, siue abscessus, recto tramite fiat,
necesse est: vt, si parte dextrâ inflamma-
tione obsessâ, hæmorrhagia è nare dextrâ
prorumpat, confert: sin minus, & per si-
nistram quâuis quantitate contingat, non
optimam pariet crisim. Idem puta de absces-
y Partic. 10. sec. 3. lib. 6. epid. su: naturæ enim recta directio, quam y Hip-
pocrates κατ᾽ ἴξιν vocat, insuper requiritur,
z Hippocr. ibid. vt testatur z ipsemet, κατ᾽ ἴξιν, ait, καὶ πλευ-
ρέων ὀδύνην, καὶ ξυντάσιες, ὑποχονδρίων, καὶ
σπληνὸς ἐπάρσιες, καὶ ἐκ ῥινῶν ῥήξιες. in
directum, lateris dolor, præcordiorum di-
stentiones, lienis tumores, & ex naribus erup-
ptiones fieri debent. Hæc de excretione. Ad-
a Hippocr. ibid. dit præterea, *a* καὶ ὦτα κατ᾽ ἴξιν, in auri-

bus item directio: quâ dictione, in abscessibus qui ad aures fiunt, etiam directionem spectari iubet, vt clarè satis demonstrat *b* Galenus, Atque illud ipsum de excretione expresso sermone ita confirmat: c *oportet*, inquit, *per directum fluere sanguinem, ex dextrâ quidem nare, hepate patiente, vel locis sub dextris praecordijs positis: ex sinistrâ autem, liene & locis vicinis (affectis.)* Adeo igitur eam processus naturæ rectitudinem hîc necessariam esse puto, vt ipsâ absente, nulla adsit de bonâ crisews perfectione, perfectâue bonitate securitas. Postea vt facile toleretur: id est, sine magno virium impendio, & absque animi deliquio, mortis imminentis metum incutiente, fiat: quod in symptomatis eam comitantibus consistit: siquidem vbi hæc vehementia, grauissima, & horrenda contingunt, non potest illa ἀκίνδυνος, id est, periculo vacans, iure merito nuncupari. Consequenter dicebat Galenus, *quæ cum concoctione*: quia quæ incocta exeunt, vel caloris natiui penuriam, vel humoris morbifici cruditatem, vel naturę ab onere immēso oppressæ imbecillitatem, vel denique plura ex ijs portendunt, & intempestiuam potius, infaustique ominis iudicationem, quam perfectè bonam, pollicentur. Porro, vt coctio illa, non modo in excretionis aut abscessus materiâ, dum iudicium fit, verum etiam

b *Commēt. in loc. Hipp. recent. cit.*
c *Cap. 3. lib. 3. de crisib.*

ante ipſum, per ſigna quæ peptica vocantur, ſingulis morbi diebus, vel illis ſaltem qui iudicandi vim habent, manifeſtè appareat oportet. Cæterum non eſt criſis optima, ſi in die iudicatorio non obtingat: quæ enim in aliis diebus ſe produnt, ſuſpectæ omnes eſſe ſolent, & magnâ ex parte mortem præ ſe ferunt, vt infinitis exemplis oſtendit *d* Hippocrates, quæ breuitatis ergo prætermitto. Poſtulat etiam optima criſis, ab indice quodam die prius indicari, aliâs incertum & infidum habes illius euentium: nec tunc etiam materiæ coctæ excretionem, ſubitumque ſalutis reditum ſperare opus eſt, ſed incerti humoris profuſionem ac recidiuam metuere, ſi forte contemplabilis quidam dies, coctionem, & alia quæcumque debuit, quaſi indice digito non monſtrárit. Hanc & præcedentem, cum Hippocrate & Galeno breuiter reluſtro, *e* τῶν πυρετῶν οἱ μήτε ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσι, μήτε μετὰ σημείων λυτηρίων ἀφιέντες, ὑποστροπιάζουσι. Febres quæ neque in diebus criticis, neque poſt apparentia ſolutionis indicia, dimittunt, repetere ſolent. Item *f* ὁκόσοισι δ' ἂν οἱ πυρετοὶ παύωνται, μήτε σημείων γενομένων λυτηρίων, μήτε ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσιν, ὑποστροφὴν προσδέχεσθαι χρὴ τουτέοισιν. Quibus febres ceſſant, neque apparentibus ſolutionis indicijs, neque diebus iu-

d in libris epidem.

e Hippocr. prognoſ. coac. 146.

f Hip. prognoſ. 24. lib. 3. prognoſt.

dicatoriis, iis recidiua expectanda est. *Quæ sine indicijs finita sunt*, Inquit g Galenus, *fere omnia reuertuntur*. Postrema crisis optimæ conditio est, vt *motum faciat morbo conuenientem*: exempli gratiâ, si aliqua sit in præcordiis inflammatio, per sanguinis fluxum, vel per bonum sudorem leuatur, ast per alui profluuium, non item. Cauis hepatis partibus affectis, magis expetit crisim per vrinas fieri, quam vbi conuexa eius laborant. Sic hepatis & lienis inflammationes peculiariter soluere solet sanguis è naribus profluens: sed vbi lethargus & peripneumonia fluxum sanguinis, licet criticum, obtinent, tunc non fit *motus morbo conueniens*, quia talis excretio calidiorum morborum propria est: at minus calidorum (quales illi sunt) non item: propterea non lucet in illâ crisi completa bonitas. Atque hęc sunt quę in crisi requiruntur, vt insuspecta & inculpata credi debeat: De his tamen plura in sequenti capite dicentur, quibus addi possunt quæ de ipsis scripta reperiuntur apud h Galenum. Porro optimæ crisi opposita ea est, quæ contraria habet omnia: *Morbi multi sunt*, inquit idem i Galenus, *qui iudicantur absolutè, securè, tuto, apertè, cum bonis signis, & dextrè. Alij imperfectè, infidè, periculosè, obscurè, sine signis, vel omnino ad malum. Voco*

g *Cap.1 lib. 1. de dieb. decretor.*

h *Capite 3. lib.3. d. cris.*

i *Lib.1. de dieb. decret.*

imperfectam indicationem, cum ex morbo quippiam relinquitur: infidam seu incertam, cum morbi recidiua contingit: periculosam, quæ cum grauibus symptomatis accidit: obscuram, quæ citra excretionem vel abscessum quendam euidentem euenit: sine signis fieri dicitur, quæ a nullo priore die indicata est: ad malum est, quæ in ægri perniciem desinit. Rursus absolutam voco, quæ in morbo nihil facit reliqui: fidam, firmam, securam, quæ redit nunquam: tutam, quæ sine periculosis symptomatis accidit: sic manifestam, cui excretio quædam, vel abscessus insignis ac conspicuus adest: cum bonis signis accidit, quæ à die contemplatorio prius indicata est. Bonam esse, quæ ad sanitatem desinit, non puto quempiam latêre.
Sed hęc fusè nimis, idcirco ad ea quę ex præmissis exaggeranda supersunt, sine morâ refluo. Pręmissa autem ista tribus particulis complexus sum, quarum duabus prioribus iam illustratis, ad vltimam deuenio, & crisium euentus alios aliis celeriores esse, sic ostendo.

k Gal. cap. 3. lib. 3. de cris.
l Fuchs. cap. 7. lib. de iudic.

k *Cum repentinæ mutationes acutorum tantum sint,* l *crisis vero sit repentina mutatio, acutis tantum conueniat, necesse est. Non iudicantur ergo nisi acuti morbi,* & eorum quatuor præcipuę sunt differentiæ; ex variâ quâ sua tempora percurrunt, celeritate desumptæ: acutus enim ἐκ μεταπτώσεως seu ex decidentiâ, tardius quam cæteri, dissoluitur: talis est,

quoties morbo quodam simpliciter acuto intra vigesimum diem imperfectè iudicato, fractâ inde eius vehementiâ, quod ex eo superest, intra quadragesimum finitur: velut si pleuritis in suppurationem abit: licet eiusmodi morbi inter acutũ & longũ, vt m Galenus docet, mediũ tenere videantur: attamen sic n ipsemet aliquando loquutus est: *quicunque, ait, imperfectè iudicati. seruati sunt in processu dierum ad quadragesimum, hos solet Hippocrates, acutos qui in quadraginta diebus iudicantur, nominare: verum, addit, manifestius illi (rem) declarant, qui eosdem morbos, acutos ex decidentiâ vocant.* Acuti vero simpliciter sunt qui ab o Hippocrate passim acuti sine vllâ adiectione dicuntur, eosque decimoquarto die iudicari clarissimis hisce verbis p ipse asserit, τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων ἐν ἡμέρῃσι κρίνεται τεσσαρεσκαίδεκα: hoc est, acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur: quod etiam ex q Galeno patet: *Quicumque igitur morbi*, inquit, *intra quartum decimum diem iudicantur, hos solet Hippocrates acutos simpliciter nominare.* Tales sunt, r *pleuritis, peripneumonia, phrenitis*: quibus addunt quidam cum ſ Hippocrate, λήθαργον, καὶ καῦσον, καὶ τὰ ἄλλα νοσήματα ὁκόσα τουτέων εἰσὶν ἐχόμενα: id est, lethargum, & febrem ardentem, & morbos omnes alios qui ad hos consequuntur: quod tamen non

m Cõment. in prognos. 18. lib. 1. prognost.

n Cõment. in aph. 23. sec. 2.

o In omnibus fere lib. prognostic. & aphoris.

p Libell. de cris. & prognosi coacã 147. & aph. 23. sec. 2.

q Cõment. in aph. 23. sec. 2.

r Cõment. in aph. 12. sec. 2.

ſ Libro de victus rat. in morbis acut.

A Ira- glandle

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

de acutis tantummodo, verum etiam de acutiſſimis à ſapientiſſimo ſene dictum, & intelligendum eſſe, facile crediderim: cum lethargus nunquam aut raro terminum ſimpliciter acutorum, videlicet decimum quartum diem, attingat, ſed ante illum iudicari ſoleat vt notat *t* Hippocrates, ἢν τίνα νοῦσος ἡ καλουμένη λήθαργος ἴσχει, οὗτος ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκει, ἢν δὲ ταύτας ὑπερφύγῃ, ὑγιὴς γίνεται. Si morbus quem lethargum vocant, aliquem detineat, talis intra ſeptem dies moritur, quos ſi effugerit, ſanus euadit: & hæc confirmat etiam *v* Foeſius. Præterea, nonuunquam ad vigeſimum vſque diem protrahuntur morbi ſimpliciter acuti, *x videtur enim interdum decimum quartum (diem) non eſſe terminum acutorum morborum, ſed vigeſimum.* Hoc tamen, Hippocratis locum de acutorum iudicatione citatum minimè deſtruit: ſciendum etenim, acutum ſimpliciter, vel eſſe exactè talem, vel non exactè, vt argutè diſtinguit acutiſſimus *y* Galenus: cum autem Hippocrates, acutos in quatuordecim diebus iudicari profert, de ijs qui exactè ſunt ſimpliciter acuti, verba facit: quippe certum eſt, *z quartum decimum diem eſſe terminum (verè) acutorum.* Galenus vero, cum vigeſimum diem, acu-

t Lib. 2. de morb.

u Coment. in progno. coac. 148.

x Gal. commentar. in prognoſ. 12. lib. 3. prognoſt.

y In eodem commentar.

z Gal. ibid.

torum terminum esse tradit, de ijs intelligit; qui non exactè tales existunt, & istos *acutos paulo longiores & adauctiores a vocat.*

Interim, siue decimoquarto siue vigesimo die finiantur, celeriter iudicari censentur: Sed aliquando celerius peracuti, vt sunt b *angina, iuxtangina, & distentio neruorum*: atque duplicis generis esse perhibentur, alij nempe peracuti tantum, alij extremè peracuti, c *quos barbaram sectantes medicinam, perperacutos appellant, rectius autem peracutißimos vocarent*: d *illi sunt qui septimum diem non transmeant, sed aut in eo, aut etiam maturius iudicantur*: hi vero nunquam primum quaternarium excedunt: tales sunt, angina vera, apoplexia fortis, & alij eiusmodi affectus. Atque hæ sunt acutorum morborum differentiæ, quas breuius & clarius tangit & explicat e Galenus. *Vocetur* inquit *peracutus morbus qui ad septimum vsque diem extenditur: qui longius procedit, simpliciter acutus; at hic quoque differentiæ in peracuto memoriâ tenendæ sunt: vt enim exactè peracutus is est, qui quartum diem attingit: non exactè, qui ad septimum vsque progreditur, eâdem ratione inter acutos, alius est exactè acutus, qui ad vsque decimum quartum porrigitur, non exactè vero, qui ad vigesi-*

a *Gal. ibid.*

b *Gal. commentar. in aph. 12. sec. 1.*

c *Fu hs. cap. 7. lib. de reb. præter. natur.*

d *Gal. commentar. in prognost. 12. lib. 3. prognost.*

e *Capite 12. lib. 2 de dieb. decret.*

mum vſque durat, quamquam & ipſe acutus ſit. Adhuc aliud eſt morborum genus, quod ex delapſu acutum, ad quadrageſimum vſque diem peruenit: ſatius enim eſt ita vocare ipſum, qui acuto quodam imperfectè iudicato intra diem vigeſimum, deinde vehementiâ eius confractâ, reliquum eius intra quadrageſimum diem ſolui conſueuit. Iudicantur ergo acuti alij alijs celerius, atque adeo tot criſium differentias quod & acutorum morborum, ex variâ earundem tum celeritate, tum tarditate deſumpſiſſe, operæpretium fuit.

DE CAVSIS CRISEωS

CAPVT QVARTVM.

NOn ſecus in critico certamine, ac in alijs naturæ effectibus, quatuor cernuntur cauſæ nempe materialis, efficiens, formalis, & finalis: quarum prima nihil aliud eſt quã humor morbificus: In ſolos enim humorales morbos, cadere criſes, nullus medicorum non concedit. Secunda, ſeu efficiens, eſt natura, quæ à noſtris partibus ſtare indefeſſa, morbi, vitæ noſtræ & ipſimet infeſti, ruinam molita, pro viribus certat, donec vel laudabilem effectum conſequuta, victrix reſurgat, vel ad eundem producendum

debilior, victa succumbat. Verumenimero non solet illa sine medio instrumentali quidquam agere, ideoque in promouendâ crisi, excretione vel abscessu, tanquam instrumētis vtitur; & hæc est formalis criseωs causa. Denique cum omne agens agat propter finem, hunc ex crisi, quæ procedit à naturâ agente, detruncare, non esset rationis consentaneum, Itaque finalem causam illi concedere, non est quod recusemus: & eadem duplex existit, mediata scilicet & immediata: illa est repentina, hæc lenta (mediante nimirum longo status melioris tempore) sanitatis recuperatio: nunquam enim in crisi naturæ finem ingrediuntur mors aut transitus in deterius. Obijcies, multi statim post crisim moriuntur, alij pejus quam ante ipsam habere incipiunt, Ergo non sola salus, sed pernicies quoque, est iudicij finis. Respondeo, distinguendum esse inter finem executionis, & finem intentionis: si de priori intelligas, optimè arguis: si de posteriori, toto cœlo aberras. Etenim hic est quem perpetuo natura in bonum nostrum sibi proponit, nec est illa iniustitię insimulanda, quod plerique, vt ajs, statim post crisim intereant, aut peius quam antea habere incipiant: hæc enim illius vitio neutiquam ita accidunt, sed potius, quod vel à morbi nimium obst ntis contumaci robore fatigata, vel ab extrinse-

Docend ... practitioner

cus aduenientibus, in actione interturbata, aut aliunde debilitata, medium per quod efficit, rectè instruere nequeat, vnde fit vt finem sibi propositum non semper assequatur. Præterea f *non raro fit vt causa efficiens vna, eodem vsa instrumento, diuersos omnino promat effectus, quod dissimiliter id adhibeat operi, aliterque vires intendat.* Quod si crisim semper optimam desideres, singulas illius causas, ab omni defectu & excessu vacare, necessum est. Cum autem fieri vix possit, vt se semper integerrimè in rei cuiusdam productione singula gerant; (aliâs non nisi perfecta producerentur entia) ideo nemini mirum esse debet, si permulta infeliciter succedant, vt in crisibus: quas tamen, nunquam nisi pro votis haberemus, si in materiam aptissimam, effectrix non debilis, & ad agendum libera, conuenientem formam imprimendo, rem ad pulcherrimum finem perducere valeret. Sed quid ego? Aliena quærendo, propria perdo: Physica balbutiendo, ex medicinalis crisionomiæ terminis digredior.

f *Fernel. cap 10. lib. 5. Physiolog.*

Redeo igitur ad causarum mearum nomina, & formalem potissimum, quæ fusiori examine indiget, assumo. Hæc, vt dixi, vel excretio est, vel abscessus, id est, humorum translatio, quam g Hippocrates ἀπόστημα & ἀπόστασιν vocare solet, ita vt si quæuis illarum commodè fiat, de subiecti, in quo

g *In singul. fere suorum oper. libr.*

accidit inſtanti ſalute (modo quid non peccetur extrinſecus, vt poſtea videbis) exclamare licet. De conditionibus autem quæ requiruntur, vt fauſtè & commodè fiant, aliquid præcedenti capite, licet obiter tantum, agere coactus fui, cum ea quæ optimæ criſi conueniunt, ex Galeno recenſebam, ideoque eaſdem hîc largius exprimam, ab excretione, quæ nobilior & ſecurior eſt, exordio ſumpto.

Quidquid in excretione attenditur, vel ſubſtantia eſt, vel accidens. Excretorum ſubſtantia eadem debet eſſe quæ humorum à quibus proficiſcitur morbus: his enim foras expulſis, ſequitur morbi leuatio, vt & tolerantiæ facilitas. Quod ſi altera quam vitioſorum humorum ſubſtantia detrudatur, non dicam optima, ſed ne bona quidē erit excretio. h *Ex generibus accidentium animaduertenda ſunt in excretis, quam multa ſint, & qualia, tum quando, & quâ parte exeant.* Id eſt, quantitas, qualitas, tempus, & excernendi modus.

h *Vidius lib. 9. de curat. generat.*

Primo itaque debet excretorum multitudo ſiue quantitas, peccantium humorum copiæ reſpondere, quod ſi pauciora excluduntur, imperfecta erit euacuatio, periculum enim erit futuræ recidiuæ, vt eleganter i Hippocrates, τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα μετὰ κρίσιν, ὑποστροφώδεα. quę relinquuntur (in morbis) poſt criſim, recidiuas fa-

i *Hippocr. in prorrhet.*

i Sec. 1. & 3. lib. 2. & sec. 2. & 3. lib. 6. epid. & aph. 12. sec. 2.

k Gal. cap. 18. lib. 1. de crisibus, & comment. in aph. 12. sec. 2.

l Lib. 4. epidem.

m Hippocr. prognos. coac. 42.

o Hipp. sec. 3. lib. 2. epid.

necare consueuerunt. k *Per ea autem quæ relinquuntur, malorum humorum reliquias intelligit, quas necessarium est tempore putrescere, & febres accendere.* Vbi vero nimis multa educuntur, conuelluntur vires, & talis excretio, propter mortis, quam minitatur, periculum, plurimum ab optimâ recedit: hæc quippe æquabilem adeo mediocritatem postulat, vt nec plura nec pauciora quam redundent, illico expurgentur. De parcioris excretionis infidelitate hæc l Hippocrates; γυναικὶ καρηβαρικῇ ἰσχυρῶς, ἑβδόμῃ οὐ κάρτα ἡμορράγησε. ἐς ὀφθαλμὸν δεξιὸν περὶ ὀγδόην. ἀνδρὶ ταῦτα. ἀλλ' ὀγδοηκοσταίῳ καὶ χρονιώτερα τοῦτο τὰ τοῦ ὀφθαλμοῦ: id est, mulieri vehementi capitis dolore laboranti, septimo sanguis non multus è naribus profluxit, ad octauum in oculum dextrum decubitus factus est. Viro cuidam eadem contigerunt, sed huic ad octogesimum, atque etiam longiores affectus obuenerunt. Deinde m οἱ ἐφιδροῦντες ἐν πυρετῷ κακοήθεες: in febribus, parum exsudantes malignè habent: pauca enim illa exsudatio, vel naturæ oppressionem, vel eiusdem imbecillitatem denotat. n ἐν τοῖσι γὰρ πυρετοῖσι κακοήθειαν σημαίνει. in febribus autem malignitatem significat. o ἄρρωστος δωδέκατος, θερμαινόμενος ἐδείπνησε. πυρετὸς ὀξύς. &c. Æger duodecimus, incalescens cœnauit largius,

gius, febre acutâ correptus eſt: ſeptimo exaſperta ſunt omnia: paulò poſt, paucorum nigrorum & bilioſorum vomitus ſubſequutus eſt: nono, delirium: decimo, deſipuit: vndecimo, mortuus eſt. De copioſioris verò excretionis malefido euentu, ſic quoque Hippocrates, p ἄρρωστος τρίτος, πυρετὸς ὀξύς. Πολὺς ἱδρὼς, ἔθανεν. Æger tertius, acutâ febre laborans, cum magnâ ſudorum copiâ defunctus eſt: puta, quod tunc ſpiritus (in quibus vis & vita deliteſcunt) vnâ cum ſudore emanauerint. In ſumma, q πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. Omne nimium (eſt) naturæ inimicum. Adde quod r πάντα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακόν. Omnia quæ modum excedunt, malum denunciant. Deniq; ſ οὐδὲν ἀγαθὸν ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεως ᾖ. nihil bonum, quod ſupra naturę modum fuerit, ſi de his plura deſideres, lege ſeptem Hippocratis libros qui titulum habent ἐπιδημιῶν, id eſt, de morbis vulgaribus, vbi innumera comparabis exempla, quæ hîc recenſere, intolerabilis eſſet & faſtidioſa prolixitas, quâ de re ad ſecundum genus accidentium, commodæ excretioni conuenientium, tranſeo.

p ſec. 3. lib. 3. epidem.

q Hippocr. aph. 51. ſec. 2.

r Hippocr. aph. 3. ſec. 2.

ſ Hippocr. aph. 4. ſec. 2.

Secundum illud genus nihil aliud eſt, quã, eorum quę excernuntur, qualitas: Sed hęc tanti momenti eſt, vt ſolâ eâ peccante, reliqua omnia quę proſperè iudicata videban-

tur, inutilia pæne ſint, & pro nihilo habenda. *Hipp. aph. 2 & 25. ſec. 1. & aph. 3. ſec. 4. & ſec. 3. lib. 6. epidem.* t ἣν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρονται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν: ἢν δὲ μὴ τ᾽ ἐναντίον. Si quidem quæ educi oporteat, educantur, confert, & facile tolerant (ægri) ſin minus, contrarium euenit. De ijs quę ingeruntur, trito dicitur adagio non qualitatem, ſed quantitatem nocere. At vero de ijs quę (in criſi præſertim) excernuntur, ex aduerſo dicendum, non tam quantitatem quam qualitatem eſſe ſpectandam: & licet vtrique ſumma ſit adhibenda perſpectio, docet tamen v Hippocrates, τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ᾽ ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ. *u libell. de humorib. & aph. 21. ſec. 1.* quæ prodeunt copiâ minimè æſtimanda, ſed vt qualia expedit prodeant. Quid ergo vrinas profusè effundi iuuat, ſi non laudabiles? nihil omnino. x ὁ ἄρρωστος πέμπτος ἐν πρώτῃ τῇ ἡμέρῃ πυρετὸς ὀξὺς καυσώδης &c. *x Hippocr. ſec. 3. lib. 3. epidem.* Æger quintus febre acutâ ardente detentus erat, ſecundo die vrinarum copia profluxit, ἀλλ᾽ οὐ χρηστῶν, ſed non laudabilium, (puta, quod tenues eſſent, & crudæ) quarto celerrimè perijt. Quid ſudores, abundè per totum corpus emanantes proſunt, ſi frigidi deprehendantur? certè aut nihil, aut paucillum ſaltem. Etenim y ἱδρὼς ψυχρὸς ἐν ὀξεῖ μὲν πυρετῷ θανάσιμος, ἐν πρηϋτέρῳ δὲ, χρόνιον σημαίνει. *y Hippocr. prognoſ. 19. lib. 1. prognoſt. & libell. de criſ. & prognoſ.* hoc eſt, ſudor frigidus, cum acutâ quidem febre

mortem, cum mitiori verò, morbum diuturnum fore significat. z Æger primus febre acutâ iugulatus, ἱδρῶτες ψυχροὶ διὰ τέλεος. Sudores vsque ad finem frigidi perseuerauerunt. Ergo vt laudabilis sit excretio, qualitas requiritur apprime consentanea.

coac. 572. & 573. & aph. 29. sec. 1. & 34. sec. 4.
z Hippocr. lib. 3. epid.

Excretionis tempus non parum etiam perspiciendum est: neque enim illa opportuna esse potest, nisi certis temporibus contingat, Dicam exempli gratiâ de sudoribus, qui quouis die erumpentes, non sunt leuiter & inconsultè pro bonis habendi: sed ἀγαθοὶ, inquit a Hippocrates τειταῖοι, καὶ πεμπταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι, καὶ μίῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ τελακοστῇ πρώτῃ, καὶ τελακοστῇ τετάρτῃ. οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες, νούσους κρίνουσιν. οἱ δὲ μὴ οὕτως γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μήκους νούσου, καὶ ὑποτροπιασμούς. Boni sunt qui die tertio & qui die quinto, & qui septimo, aut nono, aut vndecimo, aut deciquarto, aut decimo septimo, aut vigesimo primo, aut vigesimo septimo, aut trigesimo primo, aut trigesimo quarto, apparent: illi enim morbos rectè iudicant. Qui verò non sunt tales, laborem, & morbi longitudinem, eiusdemque reuersionem significant. Iterum b οἱ ἱδρῶτες, ἄριστοι μὲν εἰσὶν ἐν πᾶσι τοῖς

a Aph. 36. sec. 4.
b Hippocr. prognos. 29. lib. 1. prognost.

ὀξέσι νοσήμασιν, ὁκόσοι ἐν ἡμέρῃσι κρισίμοισι γίνονται: id est, sudores optimi quidem per omnes morbos acutos, qui diebus iudicatorijs contingunt. Idem tibi censendum est de cæteris excretionis speciebus, quæ omnes, vt boni auspicij credantur, ἐν ἡμέρῃσι κρισίμοισι γινῶνται, necesse est: etsi aliquando isti laboriosam crisim pariant, vt de narium hæmorrhagiâ referre videtur c Hippocrates his verbis αἱ τεταρταῖαι αἱμοῤῥαγίαι δύσκριτοι. Sanguinis eruptiones quæ quarto die apparét difficilem faciunt iudicationem. Quartum autem diem inter crisimos locum habere, sequenti libello dicetur. Denique vt numeris omnibus absoluta sit excretio, debitum debes excernendi modum addere: vt scilicet humores noxij per loca conferentia, & modo conuenienti diffluant. Et quidem quod ad primam partem attinet, hæmorrhagiam assumo, quæ licet quantitate & qualitate laudabilis, nec non die optato oborta sit, perfecta excretio nuncupari iure merito non potest, si sursum prodeat. d αἷμα, ἄνω μὲν ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν. Sanguis quidem, qualiscumque fuerit, supra erumpens, malum (portendit). Nec minus periculi habet, si ex parte, affectæ sedi oppositâ, exierit. Quippe e τὰ ἀνάπαλιν αἱμοῤῥαγέοντα, κακὸν οἱ τὸ ἐπὶ σπλῆνι μεγάλῳ ἐκ δεξιοῦ ῥέων, quæ ex aduersâ par-

c Sec. 3. lib. 2. epidem.

d Hippocrat. aph. 15. sec. 4.

e Hippocrat. prognos. 152. lib. 1. prorrhet.

te, & præposterè fiunt sanguinis eruptiones malæ sunt: velut in lienis tumore, si ex nare dextrâ (sanguis) effluat. Et hæc est regula generalis ad quam omnigena reducitur excretio cōmoda: vt nimirū è directo partis ægrotātis viam habeat, quod licet ex *f* Hippocratis oraculis addiscere, qui omnē naturæ motum in directum tendentem, quem κατ' ἴξιν *g* ipse seu κατ' εὐθωρίαν vocat, approbare solet. Sic & *h* Galenus de hâc naturæ normâ disserens, ei τὸ ἀνάπαλιν opponit. Absint itaque τὰ ἀνάπαλιν αἱμοῤῥαγέοντα, sanguinis profusiones quæ non è directo fiunt, *i Sed ex aduersâ parte & opposito quodam ductu educuntur*: sicut & quæuis excretio quæ ita processerit. Absint etiam (vt alteram excernēdi modi partem attingam) quæ confertim ruunt: etenim repentinæ salutis spem non faciunt: τὸ δὲ κατ' ὀλίγον ἀσφαλές. Securæ vero sunt si paulatim fiant. Noli tamen censere, eas lento nimis gressu incedere debere: nulla siquidem ibi fiducia: vnde Hippocrates de sudoribus criticis (ad quos reliquas, vt supra monui, excretionis species conformare poteris) ita loquitur: *l* ἱδρῶτες οἱ μὲν κατὰ μικρὸν ὠφελέουσιν. οἱ δὲ ἀθρόα. Sudores partim quidem sensim procedentes, partim verò vniuersim effusi, iuuant. Medium ergo tenendum est, vt scilicet neque omnino vniuersim: quod hi ab *m* Hippocrate noxij delarentur, illi reliquia-

f Sec. 1. lib. 2. & sec. 1. lib. 6. epid.
g Hipp. sec. 3. lib. 2. epidem.
h Coment in aph. 21. sec. 1. & lib. 3. de crisib.
i Foesius comment. in lib. 1. prognost.
l Prognos. coac. 300.

m *In supr. citat. progn. 152. lib. 1. prorrhet.*

rum & recidiuæ metum incutiant.

De abſceſſu, quod humorum tranſlatio ſit, & ecquidem minus quam excretio, nobilis & ſecura, ſupra dictum, & graui authoritate confirmatum eſt. Iam vero ſciendum eſt, quod ſi non ad optimam, ſaltem ad bonam criſim quodammodo pertinet. In eo autem ſubſtantiam & accidentia, vt & in extretione, an conuenienter ſe habeant, accuratè cernere Medicus debet. Subſtantiam quæ tranſfertur, nihil aliud eſſe conducit, quam humorem qui morbum gignebat, eundemque genitum fouebat: ſiue is ſimplex, vt ſanguis, pituita, bilis flaua, bilis atra, aut humor aquoſus: ſiue mixtus ex iis fuerit. Accidentia ſunt: magnitudo, qualitas, tempus, & locus. Debet primo magnitudo abſceſſus superuenientis, peccantium humorum multitudinem continere: talem *n* Hippocrates ἀξιόλογον ἀπόστημα abſceſſum effatu dignum vocat. Nos eum eiuſmodi eſſe cenſebimus, qui morbi magnitudini ſeu dignitati ita correſpondeat, vt neque dignitate minor, neque viribus ſuperior appareat: alioquin in abſceſſuum diſciplinâ damnationẽ incurret: quod *o* Hippocrates breuiter demonſtrat: ἐπὶ τουτέων, inquit, ἀποστάσιες ἐγίνοντο, ἢ μείζους ὑποφέρειν μὴ δύνασθαι ἢ μείους ὥστε μηδὲν ὠφελέειν, in his abſceſſus fiebant, aut minores quam vt ferre poſſent, aut

n *Prognoſ. coac. 150.*

o *Sec. 2. lib. 1. epidem.*

minores quam vt iuuarent. Et hæc ab ipso *p Coment. 2 in prorrhet*
p Galeno confirmantur.

Secundo spectatur qualitas, quæ quo melior est, eo minus periculosam porrigit crisim, veluti si abceessus mollitie & rubedine sit stipatus. *q Insidus verò censetur decubitus si cum nigredine & duritie se prodat.* *q Vidius lib. 9. de curat. generat.*

Tempus quo abscessum fieri confert, illud ipsum est, quod crisi opportunum esse, supra docebam, cum nimirum coctio perfecta est, *r* ὠμὰ γὰρ καὶ ἄπεπτα ἐς ἀποστάσιας τρεπόμενα, ἀκρισίας, ἢ πόνους, ἢ χρόνους, ἢ θανάτους, ἢ τῶν αὐτῶν ὑποστροφάς. *r Hipp. sec. 2. lib. 1. epid.* Cruda enim & incocta quæ in abscessus conuertuntur, aut iudicationis cessationem, aut laborem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut reuersiones (siue recidiuas) significant. Idem prorsus & iisdem pæne verbis asserit *s* Galenus. Sequitur denique locus, qui vt omnino commodus sit, ad sequentes quinque conditiones adstringitur. *s Coment in aph. 12. sec. 1.* Primo quidem vt infernè situs sit: *t* ἐμάθομεν γὰρ παρ' Ἱπποκράτους εἰπόντος ἀγαθὰς ἀποστάσεις εἶναι εἰς τὰ κάτω τοῦ σώματος γινομένας. *t Gal. comment. 3. in prorrhet.* Ex Hippocrate enim docente discimus, bonos esse abscessus qui ad inferiores corporis partes dimittuntur. Secundo ad recipiendam & continendam vniuersam quæ decumbit materiam, capax esse debet: aliâs ipsa retro-

greditur, & sæpe ad nobilem aliquam partem refluit, vnde æger repente moritur. Tertio necessum est, vt à sede affectâ procul distet: namque dum abscessuum purulentus humor, ad vicinas partes defluit, idem, quod supra, periculum imminet, nempe ne quod translatum est, eôdem reuertatur vnde discessit, atque ita supprimatur omnino, siue deleatur aut desistat (vt loquitur ꝩ Galenus) inchoatus abscessus. Quarto debet locus in quem sese decubitus insinuat, eo a quo scaturit, minus esse nobilis: si enim æquè præstans, fuerit, æquale sequetur malum: si nobilior, grauius pro leuiori superueniet. Denique quemadmodum in excretione, sicuti supra scripsi, non secus in abscessu, confert processus κατ' ἴξιν, si nimirum dextra pars laboret, ad dextram: si sinistra, ad sinistram tendat necessum est. Quod si pars in medio sita sit, vt ventriculus, vterus, vesica, nihil tunc temporis referre puto, ex vtro latere surgat vel accumbat subcessus.

ꝩ Commēt. in prognos. 68. lib. 2. prognost.

DE SIGNIS CRISEΩS GENERATIM
CAPVT QVINTVM.

HActenus criseωs naturam, essentiam, differentias, & causas, satis declamasse videor; superest vt eiusdem signorum non

mediocriter intricatam seriem, quam facili fieri poterit charactere exprimam: sunt autem varia eorum genera. Primo quædam sunt, quæ, etsi critica vocitentur, nihil tamen decernunt. Atque eorum quæ decernunt, alia crisim quandam futuram, id est, morbum per crisim finitum iri, tantummodo præmonstrant, vt sunt morbi natura, ægrotantis ætas, anni tempestas, & cætera huiusmodi: alia tempus, quo crisis euentura sit, insuper indicant, suntque vel remota, vel proxima: remota, ex specie, magnitudine, motu, & moribus morbi, & alijs, (de quibus posthac) desumuntur. Ast proxima nihil aliud sunt quam accidentia quæ in criticâ agitatione ægrum discruciant, crisimque immediatè præcedendo, instare ipsam præmonent: suntque tum hæc, tum etiam illa, diuersi generis: siquidem ex ipsis quædam excretionem, quædam ἀπόστασιν pollicentur: priora tot patiuntur differentias, quot excretionis species existunt: altera ex morbi leuiter acuti longitudine, lentoque processu, deriuantur, & magnâ ex parte minori cum vehementiâ procedunt. Atqui, quæ huc vsque allata sunt, potes antecedentia nuncupare. Cæterum dum crisis fit, multa se produnt quæ vel illius felicitatem portendunt, vel eiusdem miseriam indicant. Hæc denique ad vestigium subsequun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

turalia, quæ quidem post crisim peractam cernuntur: illa tibi ab excretionis & abscessus, quibus comites adstant, vnde concomitantia vocari solent, bonis aut malis auspiciis, necnon à symptomatis ægrum infestantibus, innotescunt. Posteriora vero post finitum certamen, in externâ ægrotantis corporis qualitate, actionibus, & excrementis, elucescunt, & consequentia dicuntur: siue id, quod cætera iam prædicta subsequantur, cum vltima appareant, siue quod criseως finem, (qualiscumque hic fuerit) naturam consequutam esse demonstrent. Sed hæc ita positiuè adducta vbi pleniùs erunt explicata, perceptu faciliora euadent.

DE SIGNIS CRISEΩS MEMBRAtim, ac primum de Antecedentibus.

CAPVT SEXTVM.

SIgna quædam critica, nihil tamen decernentia, præcedenti capite proponebam, iam verò cum *x* Hippocrate addo ea infausti esse ominis, τὰ κείσιμα μὴ κείνοντα, τὰ μὲν θανατώδεα, τὰ δὲ δύσκειτα. Critica (signa) quæ nihil decernunt, partim mortem, partim difficilem morbi iudicationem significant. Quod sic confirmat *y* Galenus *y Comment.*

κρίσιμα γὰρ, nquit, μὴ κρίνοντα, ἢ θανατώδη ἐστὶν, ἢ δύσκριτα. θανατώδη μὲν ἂν τὶ τῶν ἐπ' αὐτοῖς θανατωδῶν, γίνηται συμπτωμάτων, ἢ σημείων: δύσκριτα δὲ ἐὰν ἄνευ τούτων διαμένῃ τὰ σημεῖα τῶν χυμῶν ἀπεψίας. Nam iudicatoria non iudicantia aut lethalia ſunt, aut difficilis iudicii: lethalia quidem, ſi in iis ſymptomata, vel ſigna lethalia accidant: difficilis vero iudicii, ſi ſigna permaneant crudorum humorum. At vero inter ea quæ iudicant ſeu decernunt, primum ordine locum obtinet natura morbi: per quam eiuſdem ſpeciem, motum, & magnitudinem intelligo: illam autem, ſicut & agri ætatem, & anni tempus, & alia conſimilia, iudicii cuiuſdam futuri indicia non raro præbent; quod ratione & authoritate confirmo. Ratione; cum criſes in chronicis affectionibus nunquam, in acutis vero ſæpiſſime contingant, vbi, num quædam ſubita permutatio euentura ſit, inueſtigare volumus, morbi naturæ rationem non parum habendam eſſe, facile concluditur. Quod ad ægrotantis ætatem: ipſam, ad præcognoſcendum quẽ finem nacturus ſit morbus, & num per criſim, an vero aliter abiturus ſit, exactâ attentione indigere, inde colligo, quod nimirum in ſenibus & pueris, etiam morbo acuto laborantibus, ſæpius ſupprimantur iudicia: hi, propter eximium calorem nati-

3. in lib. 1. epidem. & comment. in aph. 12. ſec. 1.

uum, ad ſomnum grauiorem & longiorem blandis vaporibus excitantur: z *ſomni autem profunditate & duratione oppreſſi, morbificos humores non raro adeo perfectè concoquunt, vt hi in alimentum vertantur, & non ſint amplius moleſti.* In decrepitis vero, ipſos peracutos præternaturales affectus, ſenſim & ſine vllâ repentinâ ad ſalutem mutatione nonnunquam feliciter euanuiſſe, dictat experientia. His adde anni tempeſtatem: æſtate ſiquidem magis, hyeme minus, iudicia fieri ſolent: idque propter intenſiorem vel remiſſiorem ambientis aeris calorem, qui naturam fortius aut leuius ad fomitis concoctionem & oneris expulſionem excitat, ita contingere, veriſimile eſt. Authoritate; his a Galeni verbis: *vtrum* ait *per criſim terminabitur morbus, aut nō: primum quidem ex ipſius motu ac magnitudine inſpicies, deinceps autem ex ſpecie ipſius: deinde ex anni tempore, & ex aliis quæ eiuſdem ſunt ordinis.*

z *Vide in lib. 9. de curat. generat.*

a *Cap. 4. lib. 3. de criſib.*

Secundo loco collocantur ea, quæ tempus criſeωs indicant: tempus autem illud vel vniuerſale eſt, vel particulare: illud, vocibus citò & tardè circumſcribitur: hoc, diem quo criſim nacturi ſumus, ambire ſolet. Cæterum ſigna quæ vniuerſale criſeωs tempus prædictant, ſunt ipſa coctionis & cruditatis ſigna: donec enim illa conſpiciantur, nullum ſignificatur criſeωs futuræ tempus,

quanquam cruditatis signa, morbi diuturnitatis metum potius incutiant, quam crisis alicuius spem afferant. Ea autem in excrementis tum vniuersalibus, fæce scilicet & vrinâ, tum etiam in particularibus, vt cerebri, pulmonum, &c. dignoscere facili negotio poteris, si in prognosticorum signorum scientiâ tantillum versatus fueris: quæ cum directè huius loci non sint, sed alterum, integrum, & separatum librum sola postulent, ea hic sicco pede præterire lubet, exceptis quibusdam vocabulis quæ de coctionis & cruditatis signis breuiter præmittere decreui. Coctio isthæc πεπασμὸς apud Medicos Græco idiomate nuncupatur, in eoque differt à πέψι, (quæ etiam coctionem significat) quod ille succi peccãtis elaboratio sit, pepsis vero aliméti digestio, quæ idcirco hâc in parte nihil ad nos. Ille iterũ duplicis est generis: versatur enim vel circa humorum æquabilitatem obtinendam, vel circa corrigendam eorum malignitatem: prior ex fæcibus certò, ex vrinis certiùs, elicitur, vel saltem artificiosâ coniecturâ dignoscitur: alter ex reliquis excrementorum speciebus, ex pulsu, ex ægri corporis qualitate, viribus, actionibus, ex remisso calore febrili, & accidentibus aliis depromitur Neque enim quando omnia in vrinis feliciter apparent, de salute proximâ statim adstantes lætos certosque facere

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

conuenit, nisi alia ex actionibus, sed respiratione præcipuè, & aliunde orta indicia apertè consentiant. Dices *b* πεπασμοὶ ταχυτῆτα κρίσεως καὶ ἀσφαλίην ὑγιείην σημαίνουσι. Cōctiones iudicationem breui fore, & certam salubritatem designant: Atqui vrinæ maximam demonstrandæ coctionis vim habent, & vbi laudabiles sunt, ægrum fore saluum incolumemque denuntiāt. *c* τὸ γὰρ οὖρον ἄριστόν ἐστιν ὅταν εἴη λευκή τε ἡ ὑπόστασις, καὶ λείη, καὶ ὁμαλὴ παρὰ πάντα τῶν χρόνων. σημαίνει γὰρ ἀσφάλειάν τε καὶ νόσημα ὀλιγοχρόνιον ἔσεσθαι. Optima enim seu laudabilis vrina est, in quâ per omne morbi tempus subsidet album, læue, & æquale: securitatem enim, breuemque fore morbum significat. Ergo de salutis certitudine pronuntiare licet, perseuerantibus in vrinâ coctionis signis. Respōdeo Hippocratem & Galenum εὐσημείωσιν, seu boni ominis signa, ex vrinis desumi posse, non abs re prodidisse, vt quæ Medici manum, ad diætam rectè instituendam, quasi manu dirigant. Attamen quum illis, consistentiâ, quantitate, qualitate, & contentis laudabilibus, conspectis, non raro interire hominem doceat experientia, non est quod ipsis integram redeuntis & imminentis bonæ valetudinis fidem adhibeamus. Vrinæ, etiamsi sanorum similes, coctionem quæ humorum maligni-

b *Hipp. sec. 2. lib. 1. epid. & Gal. commēt. in aph. 12. sec. 1.*

c *Hippocr. prognos. 26. lib. 2. prognostic. & prognos. coac. 575. & Galen. cap. 17. lib. 1. de cris. & commēt. in aph. 12. sec. 1.*

tatem spectat, vix aut nequaquam commonstrant, sed eorum æquabilitatem tantum: quod si humorum malignitas non castigetur, sed irrefracta maneat, frustranea erunt alia boni auspicii signa, in lotio & aliis apparentia, quippe quod sola illa non exiguam iugulandi vim habeat. Cuius rei veritatem innumeris rationibus & exemplis tum à veterum praxi, tum à nostrâ experientiâ desumptis, & comprobare & illustrare possem, sufficiat tamen vnam & alteram historiam hâc de re proferre. Ingenuus Baro annos circiter quatuordecim aut quindecim natus, causone, id est, febre ardente & malignâ, apud *d* Durlacenses in Germaniâ correptus, cum quinto, sexto, & septimo morbi die vrinas omnino laudabiles emisisset, atque ita tum mihi tum adstantibus aliquam instantis conualescentiæ spem dedisset, octauo cum istis coctionis signis celeriter defunctus est. Idem contigit viro cuidam eximiæ virtutis in vrbe *D* Aquensi, dum vixit, Consiliario meritissimo, qui cum decimo & vndecimo morbi die aliquem pepasmum in vrinis exhibuisset, duodecimo obijt. Erat autem iste exanthematis purpureis paululum liuescentibus, per vniuersam fere cutim externam conspersus, quæ insignem malignitatem intus circa humores latêre, denotabant: ita vt non malignâ tantum, sed etiam pestilentiali

d *Anno 1624. mense Nouembri.*

D *Anno 1621. mense Iunio.*

febre, laboraſſe illum, adſtantes iure meri-
to monuerim. Adde quod multos peſte cor-
reptos, eiuſmodi coctionem, etiam vrgen-
te admodum malo, in vrinis & fæcibus ha-
bere *e* vidi, qui tamen non longâ poſt actâ
morâ, me inſpiciente & non longè ab iis re-
moto, moriebantur.

e Scilicet in villâ LONdictâ anno 1630. & in vrbe MONTDEM ARSAN vocatâ anno 1631.

Sed redeamus ad temporis vniuerſalis
criſεωs indicia: quæ quidem vt fideliter ex-
aminata habeas, prædicta tibi non ſufficiunt:
namque inſuper ex morbi qualitatibus hau-
riri poſſunt. Præterea ægri temperamentum
atque conſuetudo, regio, cœli ſtatus, & a-
lia huiuſmodi, huc plerumque concurrunt.
Particulare criſεωs tempus, eſt ipſe morbi
dies quo criſis expectanda venit, hunc au-
tem dies indices præcipuè & peculiariter
præoſtendunt: verbi gratia, ſi quarto die
indicetur, ſeptimo iudicabitur. Sed hæc cla-
rius aliquando & dilucidiùs aperientur, cum
dierum criticorum arcana patefaciam. Se-
quuntur ſigna quæ inſtantem, quaſi ad fores
criſim aliquam, inſtar præambulonum pro-
clamant: ea ſic deſcribit *f* Galenus. *Indi-
cationis breui futuræ prænotionem ex eo habes,
quod vrgeatur ac vehementer irritetur natura à
morbo, atque ex ſubitâ præter naturã corporis factâ
perturbatione, omnino tunc enim aliquid innoua-
tur, vel circa mentem, vel auditum, vel riſum,
vel ferendi facilitatem.* Hæc tamen mihi non
complete

f Cap. 10. lib. 3. de criſib.

completè ſatis deſignare rem videntür: quãobrem ad mea, de ſpecie, magnitudine, motu, & moribus morbi, necnon de perturbatione criſim promouente, vocabula reuertor: ac de ſpecie quidem, quæ ex proprijs accidentibus agnoſcitur, ſic dicam: ſi morbus ſit peracutus, breuiter: ſi perperacutus ſeu peracutiſſimus, breuiùs aduentüram eſſe criſim, rectè coniicies. Magnitudo, ex ſymptomatum vehementiâ: Motus, ex longitudine partium acceſſionis: mores denique ex accidentibus ſuperuenientibus agnoſcuntur, eâdemque ratione in indicandis criſibus ſe habent, atque ipſa morbi ſpecies. Sed iſta omnia non adeo firmiter certam inſtantis iudicii expectationem inducunt, ac ſymptomata quæ illud ipſum anteïre ſolent: talia ex g Bertrucio ſunt, *ſenſuum & rationis plùs ſolito turbatio, dolor capitis, ſcothomia, anguſtia ægri, cum inquietudine iacendi ſuper lecto, inſtantia vigiliarum, ſæpe etiam ſomnus profundus, viſcerum dolores, alteratio, anhelitus, rigor, & ſitis vehementia:* ex Galeno verò vberius & clarius expreſſa habeo, quæ, quoniam profusè ſatis ab eo dicta ſunt, breuitatis ergo tibi offerre minimè debeo: verumtamen vt tuo, lector candide, labori parcam, (quia fortaſſis authoris verba videndi deſiderio ductus, multa illius euolueres volumina) ea fideli enarratione

g *cap.1.tractat.2.l.2.*

refero h *Antecedit* inquit *crisim non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis : nam & δυσφορία seu iactatio & incontinentia corporis, & vigilia, & dementiæ, & graues somni, & difficiles anhelitus, & hallucinationes, & vertigines, & difficiles sensus, dolores capitis, colli, & stomachi, & multorum aliorum membrorum: nonnullis verò aurium sonitus, vanæ ante oculos apparent imagines, & lachrimæ inuoluntariæ effluunt. & vrina retinetur & labrum inferius agitatur, aut aliquid tremulum fit : obliuio, & præsentium ignorantia, & vehemens accidit rigor; & plurimum acceßio consuetam anticipat horam, & multus æstus, sitisque intolerabilis sequitur: clamant & saliunt sicuti furentes, neque poßunt in eodem situ recumbere.* Hæc si omnia in vniuersum, vel saltem ex parte, die quodam fiant, eodem: si nocte, eâdem erumpet crisis. Verum num hęc per excretionem, an verò per abscessum processura sit, prænoscere, hoc opus hic labor est; & ecce tamen scopi illius attingendi viam.

h *Gal. cap. 2. lib. 3. de crisib. & cap. 1. lib. 1. de dieb. decretor.*

Signa quæ iudicium per excretionem futurum prænunciant, vel vniuersalia sunt, vel particularia. Priora, generis nomen retinent, & nuditer excretionis signa vocantur. Sumuntur autem, ex morbi specie, vt, si acutus sit: vel etiam, si calidus, teste *i* Galeno: Ex parte affectâ, vt in viscerum & cerebri inflammationibus sępissime contingit : Ex

i *commēt. in prognos. 34. lib. 2. & 26. lib. 3. prognost.*

ægri ætate, si iuuenilem degat: Ex anni tempestate, cum æstas calore fulgurãte exæstuat: Et denique ex cœli, syderum, & aëris constitutione: quando nimirum hæc naturæ nostræ cum morbo decertanti, aliquid subsidii præbere videtur, quod fieri solet, quando magis ad calorem quam ad frigus vergere illam cernimus. k *Omnium verò certissimum indicium est rigor: cum enim iste validus sit facultatis expultricis motus, vt eo excitato aliquas sequi excretiones putemus, necesse est.* Posteriora ipsã excretionis speciẽ propriè & peculiariter indicant, vnde tot eorum sunt genera, quot excretionis species existunt: hę autem septem numerãtur. Primã, si lubet, eam faciamus, quę per sudorem expromitur: secundam, quæ per vrinæ profluuium: tertiam, quæ per alui fluxum: quartam, quæ per vomitum: quintam, sextam, & septimam, eas constituamus, quæ per narium, hæmorrhoïdum, aut vteri, hæmorhagiam efficiuntur. Has l Galenus eodem, ni fallar, numero, licet alio forsan ordine recenset: *si quis*, ait, *subitò morbo liberatur, omnino huic aliqua euacuatio effatu digna contingit, vel per vomitum, vel per ventris exonerationem, vel per sudores, vel per vrinas, vel per sanguinis è naribus profluuium, aut ex sede per hæmorrhoïdas, aut in mulieribus per purgationem menstruorum.* Hinc procul vulgaris nonnullarum muliercularum error, quæ crisim

k *Fuchs. cap. 8. lib. de iudic.*

l *Cap. 6. lib. 3. de crisib.*

per profuſam illachrymationem prodire poſſe, quaſi dementer autumant, quod forſan aliquos viderint ægros, ſtatim à largo fletu cõualeſcentes. Criſis enim præcedentem ſequitur vſque (vt iam fusè ſatis probatum ac demonſtratum eſt) morbifici humoris coctionẽ, quam quidem aquæ riuulatim per oculos effuſæ, quandoque ſubiiſſe, nemo vnquam, niſi medicæ artis inſtar bouis ignarus, docere conatus eſt. Non itaque plures agnoſcendæ ſunt excretionum ſpecies, quam ſeptem illæ quas iamiam ex Galeno recenſebam, atque adeo ſeptem tantum erunt prædictorũ ſignorum genera, ſuæ quodque excretionis ſpeciei conuenientia: quorum primum, ſi meum ordinem ſerues, ea ſigna continet, quæ excretionem per ſudorem futuram eſſe ſuggerunt: vt ſunt, pulſus mollis & vndoſus, cutis caliditas rorida & vaporoſa, fæcum vrinæque ſupppreſſio, & rigor, quibus non raro iungitur dolor quidam, quem, velut ex acuum puncturâ, ſentit æger in epidermide ſeu cuticulâ. Secũdum circa vrinæ profluuium verſatur. Illud autem conſtituunt, grauitas & commotio circa pectus & pectinem, venarũ amplitudo, & ſine cauſâ copiosè meiendi conſuetudo: quibus adde aliarum vacuationũ priuationem. Signa quę alui fluxũ præcipuè portendunt, ſunt, grauitas & commotio circa ventrem, tam ſcilicet in regione hypoga-

ſticâ quam vmbilicali, plurimorum flatuum per anum efflatio, ructus, & lumborum dolor. Quæ vomitum, animi ſubuerſio, nauſea, labii inferioris tremor, oris amaror, ſingultus & ſaliuatio frequens. Hæmorrhagiam per nares præindicant; fluxus lachrymarum inuoluntarius, faciei & oculorum rubor, viſus turbatio, rerum rubrarum ante oculos imaginatio, vehemens naſi pruritus, ſpirandi difficultas, temporum pulſatio, & venarum frontis inflatio. Per vterum vero, poſt aliarum excretionum ſuppreſſionem, & talis vacuationis conſuetudinem, m *lumborum grauitas effatu digna, & tenſio & dolor*, n *ardor et dolor alternatim circa vuluam, & vrina nigra, aut cum ſedimine nigro*. Per hæmorrhoïdes denique excretionem fore ſuadent cum prędictis generalibus ſignis, (conſuetudine nimirum huiuſmodi vacuationis, aliarumque ſuppreſſione) pruritus in ano, & tumor ſeu inflatio venarum illuc peruenientium. Atque hæc de excretionis cuiuſque particularibus ſignis.

m *Gal. c. vlt. lib. 3. de criſ.*
n *Bertruc. c. 1. tractat. 2. lib. 2.*

Quæ abſceſſum promittunt, vel id proximè ineunt, vel remotè: hæc ſunt, primo hyemalis tempeſtas, o τὰς γὰρ ἀποστάσιας εἰδέναι χρὴ, τοῦ χειμῶνος μᾶλλον γινομένας. Scire enim oportet abſceſſus hyeme magis contingere. Secundo ætas, vt ſi trigeſimum annũ agant, teſte *p* Hippocrate. Tertio morbi tarditas & diuturnitas, id eſt, *q* ἢν ἀργὸς ᾖ

o *Hippocr. prognoſ.* 31. *lib. 3. progn. & Galeni cõment.*
p *lib. 3. prognoſt.*
q *Hip. l. de humorib.*

r Gal. cap. 3. lib. 3. de cris.

ſ Gal. comment. in prognoſ. 34. lib. 2. prognoſt.

t cap. vltim. lib. 3. de criſib.

νȣσος ἐῇ ſi tardus fuerit morbus: r *quia decubitus, omnes febres diuturnas ſecurè finire conſueuerunt.* Quartò & poſtremò humorum morbũ committentium frigiditas & craſſities: ſ *nam morbi qui in craſſiore & frigidiore humore conſiſtunt, per abſceſſus iudicari ſolent.* Illa verò ſunt communia & propria, vt notat t Galenus: *communia,* ait, *quidem omnia ſunt, vbi de ægri ſalute non deſperatur, quod neque morbus ſoluatur, neque vrina multa, & multam habens ſubſidentiam, ſed cruda & tenuis appareat:* & hæc ſimpliciter futurum abſceſſum annuunt. Propria verò locum in quem, num videlicet ſuperam, inferam, mediam, corporis regionem occupaturus ſit, inſuper peculiari virtute deſignãt. u *Ea itaque ſunt, ſubita ſpirandi difficultas, moxque quieſcens, quam grauitas capitis ac dolor ſubſequitur, & grauis ſomnus, ac ſurditas, & hæc in glandoſis carnibus poſt aures, abſceſſus fieri neceſſe eſſe, commonſtrant. Si verò morbus iamdiu, durauerit, neque vllum ex his ſignis adfuerit, ſed in ægro ex locis inferioribus, vel grauitas, vel tenſio, vel* φλόγωσις *ſeu inflammatio, vel dolor appareat, huic abſceſſus ad partes inferiores eſt expectãdus.* ὁκόσοι δ᾽ ἂν ait x Hippocrates ȣ̃ρα λεπτὰ καὶ ὠμὰ ȣ̓ρέουσι πολὺν χρόνον, ἤν τ᾽ ἄλλα ὡς περιεσομένοισι σημεῖα ᾖ, τȣτέοισιν ἀπόστασιν δεῖ προσδέχεσθαι ἐς τὰ κάτω τῶν φρενῶν χωρία. Qui tenuem crudamque diutiùs vrinam mingunt, ſi præter hoc, alia

u Gal. ibid.

x prognoſ. 31. lib. 2. prognoſt.

adſint conualeſcentiæ ſigna, in illis ad infe-
ras præcordiorum ſedes abſceſſum expectare
oportet. Deinde *y* ὅςις δ' ἂν τῶν πυρετῶν *y Hippocr.*
μηκύνῃ περιεςικῶς διαχειμένου τοῦ ἀνθρώπου *prognoſ. 25.*
μηκέτι ὀδύνης ἐχούσης διὰ φλεγμονήν τινα *lib. 3. pro-*
μήτε διὰ πρόφασιν ἄλλην μηδεμίην ἐμ- *gnoſt.*
φανέα, τουτέῳ προσδέχεσθαι ἀπόςασιν
μεθ' οἰδήματος τε καὶ ὀδύνης εἴς τι τῶν
ἄρθρων, καὶ οὐχ ἧσσον ἐκ τῶν κάτω. In
longâ febre, ſalutariter tamen affecto æ-
gro, ſi neque ob inflammationem aliquam,
neque ob vllam aliam euidentem occaſionē,
dolor detinet, in hoc abſceſſus cum tumore &
dolore ad articulum aliquem expectandus,
maximèque in ſuperioribus locis. Denique *z* *z Hippocr.*
ἢν νοῦσος κατάῤῥοπος ἔῃ, κάτω ἀποςά- *libel. de hu-*
σιες ſupple γίνονται. μάλιςα δὲ πόδες θερ- *morib.*
μοὶ, κάτω σημαίνουσι, ψυχροὶ δὲ ἄνω. Si
morbus deorſum feratur, infra fieri ſolent
abſceſſus: maximèque pedes calidi, infra
ſignificant: frigidi verò ſupra. Hæc ſunt in-
dicia abſceſſuum qui ſupra & infra tendunt;
eorum verò qui in medio, puta ſub axillis cō-
ſiſtunt, non alia dari poſſe exiſtimo quam, cū
prædictis generalibus ſignis, dolorem, gra-
uitatē, & tenſionem, in illis partibus, & ſpi-
randi difficultatē. Si quis tamen plura de ſpe-
cialibus hiſce iāiā expanſis abſceſsuum ſignis
deſideret, audiat *a* Galenum de illis *ita differen-* *a cōmēt. in*
tem: at vero inquit *abſceſſus in morbis ijs qui ad-* *prognoſ. 34.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

modum immorantur, ad inferas erūpunt sedes ob frigus craßitudineque materiæ, ac virium spatio temporis languentiū debilitatē; in acutioribus vero prope auriculas; etenim per eos crassi minus humores existunt, & item copia caloris, & validior facultas. At morbi inter hos medij, obtinent abscessus qui medio genere ambigunt.

lib. 1. prognost.

DE RELIQVIS SIGNIS CRISEΩS scilicet de comitantibus & subsequentibus.

CAPVT SEPTIMVM.

OMnium quæ criticā doctrinā concernūt, cognitio, illi pernecessaria est, qui in acutis (in quibus duntaxat fieri crises iamdiu probaui) de ægri salute & morte prædicere cupit, propterea quod *b* τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγείης. Morborum acutorū non omnino certæ sunt prænūtiationes, neque mortis, neque salutis. Nō ergo rectus crisiologicus eris, si signa crisim comitantia, eādēque subsequētia, minimè noueris, siquidē ex his magni momenti omina in crisibus annotandis plerumque educūtur, ægri salutem aut perniciē spectantia: antecedentia quidem totum Medicum, eūque doctum attentūque postulare, nō negauerim, sed quæ sequūtur nullomodo negligēda esse, mihi quoque concedendū est. Illa, nū, quādo,

b Hippocr. aph. 19. sec. 2. & Gal. comment.

qualis, & quomodo euẽtura ſit crisis, clariuſculè patefaciunt: hæc, qualẽ ipſa, qualiſcũque fuerit, euentum, productura ſit, exactè declarant. Illa de criſi præſentire, hæc de laborãtis ſalute aut interitu præſagire, docent. Illa ex dictis deſcripta habes, hæc ſequenti hocce ſermone complecti, eodemque priorẽ huius tractatus partem claudere, fauente altiſſimo, cõtendo: ſunt autẽ iſthæc, vt dixi, duplicis generis, nẽpe comitantia & ſubſequentia: comitãtia quidẽ ex abceſſus & excretionis cõditionibus petũtur, quas cũ prolixè ſupra perſcrutatus ſim, operæ-pretiũ eſt vt ad reliqua me cõuertã. Subſequẽtiũ itaq; eadẽ ferme eſt ratio, ac eorũ, quę humorũ malignitatis correctionẽ deſignare, præcedenti capite docebã: etenim nõ minus hæc, quã illa, ex corporis ægri qualitate, actionibus, & excrementis, hauriri poſsũt. De illis hoc iã ratũ eſſe nõ dubito proptereaque iis quę huc pertinẽt ſolũmodo indulgebo, eaq; præſertim inueſtigabo quæ optimã fuiſſe criſim aſſeuerant: quæ vero contrariam reſpiciunt, inde noſſe licet, quod illis omnino contraria ſe præbeant.

Ecce autem imprimis quid hâc de re ſenſerit Galenus: c ſi inquit *ægrotãte criſim paſſo febris ſoluatur, atq; alijs accidẽtibus liberetur, & melius fuerit coloratus, pro ratione euacuationis cũ melioribus pulſibus & ad ſurgẽdũ robuſtior, hæc optima criſis fuit. Si vero ex his aliquid deſit, tãtũ defeçit ab optima, quãta eſt eius quod deficit vis.* Quibus

c *cap. 3. lib. 3. de criſib.*

verbis, etiãsi pauculis, omnes subsequétiũ signorũ nostrorũ differẽtias, attigit citatus author, sed tã parcè atque adeo leuiter, vt se rectè totam illã doctrinã rudioribus inculcasse, sperare vix debuerit: idcirco lucem luci addere, id est, differentias istas à Galeno ita vt iamiam dictum, productas, pro exiguis ingenioli mei viribus, perspicaciùs dictare, saltem enitar. Sunt autẽ illæ signorum criticorũ subsequentium differentiæ numero tres, quarum prior in corporis ægri qualitate consistit, altera in actionibus, vltima in excrementis. Qualitas illa, vel in toto corpore, vel in facie tantummodo perquiritur: verum certa satis & breuior est, inuestigandæ qualitatis istius via; solam faciem considerare, vt quæ vniuersi corporis speciem exhibet, eiusque status fidele testimonium perhibet. d ἢν πρόσωπον ᾖ χρηστὸν, σημεῖον χρηστὸν, si facies bona fuerit, bonum (est) signum. Sed, ais, quid in ipsâ perpendendum est? Primo illam in vniuersum: e σκέπτεσθαι γὰρ πρῶτον χρὴ τὸ πρόσωπον τοῦ νοσέοντος εἰ ὅμοιόν ἐστι τῶν ὑγιαινόντων, μάλιστα δὲ εἰ αὐτῷ ἑαυτῷ: οὕτω γὰρ ἂν ᾖ ἄριστον, τὸ δ' ἐναντίον τοῦ ὁμοίου, δεινότατον. In primis enim ægri facies in considerationem adhibenda, sitne sanorum, maximèque sui-ipsius similis: ita enim optima existimanda: quæ vero ab eâ recedit, grauissimum periculũ portendit. Deinde partes illius

d *Hippocr. particul. 26. sec. 2. lib. 6. epid.*

e *Idem prognos. 8. lib. 1. prognost.*

ſingulas exactè conſpicies, nempe frontem, palpebras, oculos, linguam, labia, &c. Quid in totâ facie? molem, colorem, & figuram. Quid in mole? num *f* πρόσωπον ἐκ μετεώρου ταπεινούμενον, facies ex tumidâ facta fuerit depreſſa: quod ſi ita appareat, cõfert: ſin minus? & tumida remaneat, contra. Quid in colore, nũ ſit illa (facies nempe) bene colorata, quã *g* Hippocrates πρόσωπον εὔχροιον vocat: & talis eſt quæ nec pallida admodũ, nec nigra, nec liuida exiſtit: iſtæ ſiquidẽ formidandũ periculũ minãtur, illa vero omnem recuperãdæ ſalutis ſpem facit. Quid in figura? nũ ſit ſanorũ ſimilis quoniã vbi retorta & plumbea deprehẽditur, nihil minus quã exitium indicat. Quid prænotionis legitur in fronte? ſalutis quidem nonnihil, ſi poſt prædictas totius ſiue vniuerſæ faciei conditiones requiſitas, cutem habeat læuẽ & æqualem: necis vero, ſi præter modũ rugatam & contractam, vt moroſorum & triſtiũ. Quid in palpebris? nihil fauſti ſi liueſcant: *h* πελιδνούμενον γὰρ βλέφαρον θανάσιμον. palpebra enim liueſcens mortem in propinquo eſſe ſignificat: ſin minus, ſed alio quouis colore ſit perfuſa, nõ adeo funeſta, nec deſperatę omnino ſalutis exiſtit. Quid in oculis? *i* ex oculis inquit Foëſius *magna vitæ ac necis ſignificatio ſumitur*. Ego vero omnia ſolummodo, quæ ab iis deſumi poſſunt, mala præſagia, breuitatis ergo refero, è quibus quæ

f *Idem prognoſ. coac.* 211.

g *Prognoſ. coac.* 213.

h *Hippocr. prognoſ. coac.* 212.

i *Comment. in prognoſ. coac.* 117.

bona ſunt, per terminorũ meorũ conuerſionẽ efformabis: vnũquodque enim per ſuũ contrarium, quale ſit, facile dignoſci poteſt. Dico itaque quod k τὸ ἀχλυῶδες τῶν ὀφθαλμῶν ἢ τὸ λευκὸν ἐρυθραινόμενον, ἢ φλεβῶν μελάνων πληρούμενον οὐκ ἄστειον. φλαῦρον δὲ καὶ τὸ τὴν αὐγὴν φεύγειν ἢ δακρύειν, ἢ διαστρέφεσθαι, καὶ τὸν ἕτερον ἐλάσσω γίνεσθαι, πονηρόν. καὶ τὸ τὰς ὄψιας πυκνὰ διαῤῥίπτειν, ἢ λημία μικρὰ περὶ αὐτὰς, ἢ τὸ λευκὸν μέζω γίνεσθαι, τὸ δὲ μέλαν ὑπὸ τὸ ἄνω βλέφαρον, πονηρὸν δὲ καὶ κοιλότης ὀμμάτων, καὶ ἔκθλιψις ἔξω σφοδρὰ, καὶ λαμπηδόνος ἔκθλιψις, ὥστε μὴ δύνασθαι τὴν κόρην ἐκτείνεσθαι. καὶ βλεφαρίδων καμπυλότης, καὶ πῆξις ὀμμάτων συνεχέως τε μύειν, καὶ χρώματα μεταβάλλειν, καὶ βλέφαρα μὴ συμβάλλειν ἐν τῷ καθεύδειν, ὀλέθριον. κακὸν δὲ καὶ ἰλλαίνον ὀφθαλμός. id eſt, caligine obducti oculi, aut eorum album rubeſcens, aut liueſcens, aut nigris venis refertum, nihil probi: malum quoque eſt lucem refugere, aut illachrymari, aut peruerti, atque ex his alterum minorem eſſe, perniciem denuntiat, & oculos crebro diſijcere, gramias ac paruas ſordes illis adhæreſcere, aut albeſcentẽ humorẽ cõcretũ & tenuẽ (ægida nominãt) habere, aut eorũ album augeri, nigrũ autẽ imminui aut nigrũ à ſuperiore palpebrâ cõtegi: vitioſa quoque eſt

k Hippocr. prognoſ. coac. 218.

oculorũ cauitas, & vehemens oculi foras expulsio, ac splendoris elisio, adeo vt pupilla extendi nequeat, & cilia retorta ac fixi oculi, ac cõtinẽter cõniuẽtes, coloris immutatio, aut palpebras per somnũ nõ cõmittere, perniciem ostẽdit: quin & distẽtus oculus malo est. Quid de lingua? *l* γλῶσσα παρὰ τὸ δηροῦν ὥσπερ σιάλῳ λευκῷ καταλείφεσθαι, σημεῖον ἀνέσεως πυρετοῦ. linguæ bisulcũ saliuâ albâ obductũ, febris remissionẽ indicat. *m* χαλεπωτάτη δ' ἐστὶν ἡ μέλαινα καὶ χλωρὴ γλῶσσα. periculi autẽ plena est nigra, & ex virore pallescẽs lingua. An nihil tandẽ, inquies, de labiis labia tua narrabũt? nihil aliud quã quod si cõtracta & tremula sint, nihil boni balbutiãt, si vero bene-valentium habitum nanciscantur, nil desperãdũ. Quod si æger delabi tibi videatur, vndique & vbique erit facies illa perlegenda, vt si quæ in eâ consistant mortis imminentis signa, securè ediscantur, & audacter adstantibus indicentur. *n* τοὺς γὰρ ἀποθανουμένους τε καὶ σωθησομένους προγινώσκων τε καὶ προαγορεύων, ἀναίτιος ἂν εἴη. Si enim morituros, vt & saluos euasuros, prænouerit & prædixerit, (medicus) extra culpam positus erit. Indicia autem illa sunt, *o* ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, ῥὶς ὀξεῖα, κρόταφοι συμπεπτωκότες, ὦτα ψυχρὰ καὶ συνεσταλμένα, δέρμα σκληρὸν, χρῶμα ὀχρὸν ἢ μέλαν, πελιαινόμενον δ' ἐπὶ τουτέοισι βλέφαρον, ἢ χοῦλος, ἢ εἶς, καὶ συντόμως,

l Hippocr. prognos. coac. 230.

m Idẽ prognos. coac. 229.

n Idem prognos. 8. lib. 1. prognost.

o Idem prognos. 9. lib. 1. prognost. & prognos. coac. 212.

θαγάσιμον. id eſt, oculi concaui, nares, acutæ, collapſa tempora, frigidæ aures cõtractæque, cutis dura, color pallidus aut niger. Ad hæc quoque liueſcens palpebra, aut labrum, aut naſus, mortem in propinquo eſſe ſignificant.

Actiones in triplici differentiâ poſitæ, vel animales ſunt, vel vitales, vel naturales. Animales in motu & ſenſu cernũtur: ſpeculandum igitur num poſt criſim liberè ſe moueat, & ad vtrumque latus facili negotio conuertat æger: num mente conſtet, vt loquitur p Hippocrates ἐν πάσῃ νόσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι, τὴν διάνοιαν, καὶ εὐεχεῖν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθὸν: τὸ δὲ ἐναντίον, κακόν. in omni morbo mente conſtare, & bene habere ad ea quæ offeruntur, bonum: contra verò, malum. Poſtea num ſenſibus externis rectè vtatur: quibus adde ſomnum, in quo quantitatem, qualitatem, & dormiendi modum, vigilantiſſimè ſpectabis. Quantitatem, an æger parum, an multum, dormiat: quod ſi copiſiùs, malum: ſi parciùs, & vigilias patiatur, itidem: quia q ὕπνος, καὶ ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γενόμενα, κακόν. ſomnus & vigilia, vtraque ſi modum exceſſerint, malum. At vero ſi cum prædictis, mediocriter & prout expetunt circumſtantiæ, ſomno indulgeat, ſe ſaluum iri pollicetur. Deinde ad qualitatem aduertes: ſi enim

p Aph. 33. ſec. 2.

q Hippocr. aph. 3. ſec. 2.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

profundè & tranquillè ſomnum ineat, bonum eſt: ſi turbulentè & inquietè, malum. r ὕπνοι βαθέες inquit Hippocrates μὴ ταραχώδεες, βεβαίαν κρίσιν σημαίνουσιν. οἱ δὲ ταραχώδεες μετὰ ἀλγήματος σώματος, ἀβέβαιοι. profundi ſomni & non turbulenti, iudicii firmitatem denuntiant, turbulenti vero, cum corporis offenſione, inſtabiles ſunt & infirmi. Deinde dormiendi modum in oculis potiſſimum perluſtrabis: quia ſ σκοπεῖν χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. ἢν γὰρ τὶ ὑποφαίνηται ξυλλαμβανομένων τῶν βλεφάρων τοῦ λευκοῦ μὴ ἐκ &c. φλαῦρον τὸ σημεῖον καὶ θανατῶδες σφόδρα. ſpectare oportet quæ etiam ex oculis per ſomnũ apparent: etenim ſi quid ex albo non commiſſis palpebris ſubappareat, neque id ex &c. prauum ſignum eſt, & lethale admodum. Verum ſi clauſæ omnino, & ſicuti in ſanè degentibus, commiſſæ ſint palpebræ, ita vt nihil ex oculi albo aut nigro conſpiciatur, optimum. His itaque & præcedentibns, in deſcripto iam laudabili ſtatu forte deprehenſis, de animalium actionum integritate encomia proferre, Medico & adſtantibus licebit.

r Progno ſ. coac. 151.

ſ Hippocr. aph. 52. ſec. 6.

Vitalis, per pulſum & reſpirationem manifeſta fit, ſi ergo cum prædictis pulſus æqualis, ordinatus, & inter celerem & tardum, magnum & paruum, vehementem &

languidum, & alias eiusmodi differentias, sit mediocris, bona fuit & crisis; sin minus, contra. De respiratione sic t Hippocrates εὔπνοια μεγάλην ἔχει ῥοπὴν ἐς σωτηρίην ἐν πᾶσι νοσήμασιν ὁκόσοισιν &c. spirandi facilitas magnum habet ad salutem momentum in morbis qui &c. Iterum εἰ μὲν γὰρ περιεσσομένοις εὔπνοοι εἰσι. Qui ex morbo superfuturi sunt, facile spirant: quæ effata confirmantur à u Galeno. Ex iis autem colligere est, ægrum liberè spiritum ducere debere, si quid illi salubre per crisim contigerit: vbi enim cum difficultate respirat, aliquid in crisi defuisse, vel excessisse, signum est: sed quænam bonæ, & quæ malæ sint spirationes explicandum. Mala est x πνεῦμα συχνὸν καὶ σμικρὸν, spiratio frequens & parua: siue, malus est spiritus paruus frequenter ductus y καὶ ψυχρὸν μὲν θανάσιμον. Et frigidus quidē lethalis est. z θανάσιμον δὲ καὶ πυρετῶδες, καὶ λιγνυῶδες πνεῦμα, ἧσσον δὲ τοῦ ψυχροῦ. Mortē quoq; affert febriculosus & fuliginosus spiritus, frigido tamen minùs. a καὶ τὸ μέγα ἔξω πνεόμενον, σμικρὸν δὲ εἴσω, καὶ τὸ μικρὸν ἔξω, μέγα δὲ εἴσω. Et magnus quoque foras expiratus, paruus verò intro, & paruus foras, magnus verò intro. b κάκιστον δὲ καὶ πλησίον θανάτου, καὶ τὸ ἐκτείνον, καὶ κατεπείγον, καὶ ἀμαυρὸν καὶ δίνον, πλὴν εἴσω ἐπανάκλησις ὁποῖον ἐπεσπνέουσι.

Pessimu

t progrnos. 28. lib. 1. prognost. & prognos. coac. 260.

u cap. 11. lib. 2. de dieb. decretor.

x Hippocr. prognos. coac. 260.

y Idē ibid. & prognos. 27. lib. 1. prognost.

z Idem prognos. coac. 260.

a Idem ibid.

b Idē ibid.

pessimus quidem est, & ad mortem proximè accedens, qui protensus est, ac vrgens, & obscurus, duplicataque intro reuocatio, qualis suspirationem conduplicantibus. Boni verò sunt, qui iis omnino contrario modo se habent. Porro perceptâ ægrotantis crisim passi respiratione, eiusdem vox, vel cum ipsâ debet audiri, de quâ sic *c* Hippocrates οἷς πνεῦμα ἀνέκλεται, φωνὴ δὲ πνιγώδης ὁ σπόνδυλος ἐγκάθηται, τουτέοισιν ἐπὶ τῶν τελευτῶν, ὡς συσπῶντός τινος τὸ πνεῦμα γίνεται. Quibus spiritum ducentibus vox est strangulabunda, si ceruicis vertebra intro subsidet, iis ad exitum velut ex conuulsione, respiratio fit. Vel sine ipsâ auscultabitur, de quâ etiam *d* Hippocrates ᾧσι φωναὶ ἅμα πυρετοῖσιν ἐκλείπουσι μετὰ κρίσιν, τρομώδεες, καὶ κωματώδεες τελευτοῦσι. Quibus cum febribus voces post iudicationem deficiunt, ii tremore & sopore intereunt. Vides itaque neque strangulabundam, neque deficientem vocem quicquã bonæ spei mereri. At vero si ex aduerso, cõstans & libera sit, optima omnia denuntiat. His subiici possunt quidam cordis motus, vt sunt lætitia, tristitia, &c. quas vitales actiones esse, asserit cum veritate *e* Fuchsius. Sed, ais, quid ad nos illæ? lætitia, cum sit motus quo cor præsenti fruitur bono, magnam febris remissionem imo eiusdem extinctionem

c prognost. 87. lib. 1. prorrhet.

d prognos. 91. lib. 1. prorhet.

e cap. 4. sec 7. lib. 1. institut. medicar.

designandi vim habet: quomodo enim cor præsenti potest potiri bono, si edacibus æstuantis febrilis caloris (nam febrium fomes in corde potissimum consistit, vt testatur *f* Galenus, & ex ipsius definitione patet apud *g* authores) crateris infestetur? nullomodo certè, aut saltem difficillimè. Idcirco si adsit lætitia, adest & crisis peractæ bonitas: contra verò vbi post iudicationem tristitiâ & mœrore conflictatur æger, & fastidiosè erga aliorum risum & colloquia se gerit, malum omen. Quapropter statim ad naturales actiones recurrendum, & an aliquid iucundius suppeditent, accuratè enucleandum. h *Gubernant animal tres diuersi inter se generis facultates, toti corpori, ex suo quodam velutifonte quæque distributæ*, i *animalis scilicet, vitalis, & naturalis*: k *ex quibus totidem enascuntur actiones*, iisdem nominibus insignitæ quibus & ipsæ facultates: sunt enim animalis, vitalis, & naturalis: earum duas priores satis, fateor, excoriaui, naturalem ordine vltimam posui, quia cum facultas ex quâ illa prodit, cæteris duabus ignobilior sit, vt eleganter *l* Fernelius; ipsam quoque sodalibus suis minus dignā esse infero: vnde etiam eandem vltimo loco hîc attingere instituo. Ea itaque in coctione potissimum elucet: quare si tunc temporis (de tempore paulo post crisim labente loquor) cibum expetat,

f *cap. 4. lib. 1. de diff. febr.*

g *Fuchs. cap. 1. sec. 1. lib. 3. instit. medicar. & Fernel. cap. 1. lib. 4. patholog.*

h *Gal. cap. 10. l. 9. method. med.*

i *Fuchs. cap. 2. sec. 6. lib. 1. instit. medicar.*

k *Idem cap. 2. sec. 7. eiusd. lib.*

l *cap. 17. lib. 5. physiolog.*

ęger, eumque lautè ingerat, integrè digerat, & commodè egerat, neutiquam de recidiuâ periclitatur: m *si vero eundem fastidiat, & ructus acidi, sitis, & hypochondriorum tensio adsint, metuendus est relapsus.* m Laurent. cap. 21. lib. 1 de crisib.

Excrementa quæ conspectâ iam crisi, indicium mortis aut salutis præbent, deiectiones sunt & vrinæ, quarum prognosis non ad hunc, sed ad peculiarem de prognosticis morborum signis, tractatum pertinet, (quem tibi aliquando, si Deus meum istud viuere triste paulum produxerit, conscribam) & ex Hippocratis prognostico, prorrhetico, & prænotionibus coacis, largè addisci potest. Atque hîc priori huius Crisiologiæ Medicæ libello finem imponam, si prius addiderim, fieri plerumque, vt paulo post crisim absolutè perfectam seu perfectè absolutam, præter Medici etiam exercitatissimi spem moriantur ægri: quod per adstantium, aut ipsius ægroti, aut externorum erratum, non raro contingit: δεῖ δὲ οὐ μόνον inquit n Hippocrates ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιεῦντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεῦντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. n aph. 1. [illegible] 1. Neque vero satis est [Medicũ] seipsum præbere opportuna facientẽ, sed & ægrum, & eos qui præsẽtes sunt, & exteriora, ad id probè cõparata esse oportet. Quid iuuat Medicũ sanitatis naturam & causas inuestigasse? Quid,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

morborum genera, differentias, cauſas, & effectus, explicuiſſe? Quid, ſigna tam diagnoſtica, quam prognoſtica, ſubtiliori animi medelâ notaſſe, quid denique, remediorum ſibi ſyluam paraſſe, omneſque Medicæ materiæ vires exploraſſe, ſi, cum curandorum & profligandorum morborum conſilium init, ægrum & adſtantes obſequentes non habeat? parum omnino. φιλῶνος γὰρ τῆ θυγατεὶ ῥινῶν λαῦρον ἐῤῥύη, ἑβδομαίη δὲ ἐοῦσα ἐδείπνησεν ἀκαροτέρως, ἀπέθανεν. Philonis filia, cum fœliciter ſanguis ex naribus copioſus effluxiſſet, quod ſeptimo die intempeſtiuè (& quidem directè contra Medici præſcriptum] cœnaſſet, obiit. Pareat ergo æger, pareant adſiſtentes, bene in curando ſeſe gerenti, & exteriora commodè parare iubenti Medico.

Finis libri primi Criſiologiæ Medicæ, ſiue doctrinæ de morborum Indicationibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



CRISIOLOGIA MEDICA SIVE DOCTRINA DE MORBORUM IUDICATIONIBUS.

LIBER SECVNDVS.

In quo agitur de diebus criticis.

QVID SIT DIES CRITICVS.

CAPVT PRIMVM.



FORTIORIBVS tenuioris & iunioris ingenii, paucioris doctrinæ, tardioris diligentiæ, infœcundioris ſtili, debilioris ad laborem ferendum naturæ, mollioris iudicii, inuentionis inopiæ, ſcribendi exercitii inſuetudinis, & aliarum eiuſmodi humano generi communium imperfectionum, im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

portunis obstaculis, circumuolutum me sentio, quam vt rem tam magni momenti pro tuis, lector beneuole, votis, me tractaturum, sperare debeam. Verumtamen non est quod à propsito deturbare, imo ne mouere quidem me possint: vna mihi superest constans mentis ad tentandum naturali quodam genio excitatæ audacia, quæ ad optatam attingendam metam, se viam mihi straturam, seriò pollicetur. Hæc autem materia, non alia quam de diebus criticis existit, ab Hippocrate quidem tam confusè, vt testatur *a* Galenus, ab hoc verò tam profusè (vt ex eo patet quod eam non pauciori quam trium librorum numero descripserit) decisa, vt eximiam dictantis in docendo peritiam, & audientis in discendo attentionem postulet. Quod si prior hoc in loco desit, vt posterior illius vices suppleat, supplex te rogo.

a comment. in prognos. 1. lib. 3. prognost.

Dierum ergo, quatenus cognoscendis crisibus prælucent, luminosum splendorem reperire, eundemque cuilibet immensum Medicæ artis altum per deuia tesqua & tenebras secanti, quasi digito monstrare, animus est: quod vt secundum mentem fiat, sciendum prius quid sit dies: multifariam enim sumitur ab authoribus, imprimis quidem pro eo temporis spatio, quod ab vno solis ortu, ad alium proximum interiacet: eoque sensu in diei & noctis tempora diuiditur, & naturalis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

dicitur: b *est enim dies naturalis reuolutio æquinoctialis circa terram semel cum tantâ zodiaci parte, quantam interim sol pertransit motu proprio contra firmamentum.* Secundò pro eo quod est ab horâ noctis duodecimâ vsque ad sequentem duodecimam nocturnam: atque ita statim post mediam noctem incipit dies & in aliam similem desinit. Sic ille rusticitùs vsurpatur, & in tempora ante diem, diei, & noctis (cuius hîc pauca & parca habetur ratio) distribuitur. Tempus ante diem vocant spatium illud, quod est à duodecimâ nocturnâ ad primum vsque diluculum, ab hoc vero vsque ad stellæ Hesperi apparentem irradiationem, diem faciunt: ab istâ denique vsque ad duodecimam nocturnam, noctem statuunt. Tertia & magis acceptabilis acceptio ea est, quâ temporis interuallum, quod est à solis ortu ad occasum, denotat, & tunc noctem habet oppositam: in hâc autem significatione reperitur apud *c* Hippocratem. Cæterum hocce dierum spatium non est semper idem, quia eorum alii aliis longiores existunt, pro signorum, quæ sol pertransit, & climatum quibus illucent, diuersitate: siquidem cum Sol in Tropico, Cancri aut Leonis habitat, longiogiores: cum verò idem apud Capricornum aut Sagittarium versatur, breuiores apparent. Atqui hi in tres partes diuidi solent, videlicet in mane, meridiem, & postmeridiem

b Ioann. de *Sacro Bosco in cap. 3. suæ sphæra.*

c *prognos.* 11 *lib. 1. prognost. & libel. de crisib.*

siue vesperam: nec istos tamen artificiales, vt dicunt, esse statues: namque d *dies artificialis spatio duodecim horarum naturalium completur*, illi vero eiusmodi temporis interuallum sæpe excedunt, sæpe etiam non attingunt. Postrema diei significatio est, cum 24. horarum spatium designat: & eo sensu rei criticæ inseruit, eo sensu propriè & nullomodo abusiuè explicatur, eo sensu centies à e Galeno, eo sensu millies ab f Hippocrate sumitur: *idem*, inquit g Galenus, *hic in eo significatu accipiemus, vt non solum lucem, sed noctem etiam complectatur: sicuti & mensem ex triginta diebus constare dicimus, non id tempus tantum quo sol supra terram fertur, appellantes diem, sed etiam illi tempus noctis adijcientes.* Eo sensu ab h Aristotele, eo sensu à i Vidio, eo denique sensu per totum huncce tractatum, post tam claros & authoritate dignos Philosopho-Medicos eundem vsurpare, non est quod recusemus. Concludamus itaque k *criticum diem esse spatium 24. horarum, & lucem noctemque complecti.*

d *Ioann. de Sacr. Bosc. in loc. sup. citat.*
e *In singul. fere capitib. trium libror. de dieb. decretor.*
f *sec. 2. & 7. suor. oper.*
g *cap. 16. l. 1. & cap. 2. lib. 2. de crisib.*
h *cap. 19. l. 5. de histor. animal.*
i *cap. 1. lib. 2. de febrib.*
k *Vid. cap. 6. lib. 9. de curat. generat.*

DE DIERVM CRITICORVM differentiis generatim.

Caput Secundum.

DIuturnos morbos paulatim ſolui, acutos vero criſim ſubire, atque etiam inter hos acutum ex conuerſione, quadrageſimum diem pertingere, ſatis exploratum eſt. Iam verò quænam ſint dierum à primo ad quadrageſimum differentiæ, dicendum venit: quod enim ad vicenarios attinet, nempe ſexageſimum, octogeſimum, centeſimum, & centeſimum vigeſimũ, quoniam acutorum (quibus ſolis criſiologia competit) terminum excedunt, illos prolixiori authori derelinquo, & ad legitimas eorum qui huc pertinent differentias, ſermonem dirigo. Harum primam conſtituunt dies quidam in quibus iudicia fieri ſolent, & principes ſiue l *iudicantes*, ſiue m *indicatorij*, ſiue *decretorij*, ſiue *cretici radicales*, vocitantur. Sed dices, *iudicia omnibus diebus accidunt.* Ergo omnes dies ſunt principes ſeu iudicantes. Reſpondeo o *ſed neque pares numero, neque ex æquali fide*: etenim quę diebus alijs, quam iudicantibus, contingunt, magnâ ex parte præcocia ſunt & præmatura, nulloque recto naturæ ordi-

l *Gal. cap. 9. lib. 1. de dieb. decretor.*

m *Idem cap. 3. lib. 3. de criſib.*

n *Idem cõmẽt. in prognoſ. 1. lib. 3. prognoſt. & cõment. in. aph. 20. ſec. 1.*

o *Bertruc. cap. 1. tractat. 2. lib. 2. & Nicol. Florent. cap. 4. tractat. 4. ſermon. 2.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

p Gal. cap. 2. lib. 1. de dieb. decretor.

q idem ibid.

ne ſeruato fieri ſolent. Cum autem criſes diebus potiſſimum principibus erumpere dictũ eſt, non de iis intelligendum, quæ ab irritatâ intempeſtiuè naturâ mouentur, quas quidem abundè ſupra tetigi. Sunt ergo principes ii, in quibus tempeſtiuæ accidunt iudicationes: eſtque iſtorum duplex ordo, ita vt alii magis, alii minus præcipui exiſtant: illi ſunt, ſeptimus, decimuſquartus, & vigeſimus: hi, vigeſimusſeptimus, trigeſimusquartus, & quadrageſimus. Poſteriores æqualem iudicandi vim ſortiti ſunt, priores verò non item: ſiquidem ſeptimus adeo benignum ſe præbuit, vt criſium ad ſalutem promouendarum principatum, inter omnes iudicatorios acquiſiuerit. Rex nuncupatur iſte, & ſextum habet oppoſitum, quem Tyrannum vocant. *Mihi equidem*, inquit r Galenus, *frequenter in mentem venit ſeptimi diei naturam Regi aſſimilare, ſexti vero Tyranno*: ille ſiquidem clementior, tanquam bonus aliquis princeps, iis, quos iudicat, vel ſupplicii partem adimit, vel illuſtrat victoriam: hic è contrario vel pernicie illius quem iudicandum accepit, gaudet, vel ſalute conflictatur. Septimum dignitate ſequitur decimusquartus, vel, vt ſ Galenus effatur, *ſeptimi naturam decimus quartus maximè imitatur*: in quo etiam t *completè bonæ* contingunt permultæ iudicationes; ſed quia in illâ laudabili facultate à ſe-

r cap. 4. lib. 1. de dieb. decretor.

ſ cap. 5. lib. 1. de dieb. decretor.

t Nicol. Florent. cap. 8. tractat. 3. ſermon. 2.

ptimo tantillum ſuperatur, idcirco illi in præſtantiâ ſubiicitur. Porro quantum ſeptimus decimoquarto, tantum hic vigeſimo præpollet: non minus tamen in hoc, quam in duobus præcedentibus, criticè liberantur ægri, u *vigeſimus enim validam efficit ac ſæpenumero iudicationem*, licet non adeo ſecurè iudicet, quia ſæpius in hoc quam in illis, relinquitur recidiuæ occaſio, ſeu aliquid materiæ morbificæ obmittitur quod relapſum parit. Hi autem omnes principes, ſpeciali nomine x *ſeptenarii* vocantur; quod per ſeptimanas ſeparentur, & diebus ſeptenis occurrant. Sed propter vigeſimum & quadrageſimum me fortaſſis increpabit aliquis, eos non ſeptenarios, ſed potius ſexenarios eſſe, obiiciendo: cui ſic reſpondeo. y *Tres ſeptimanæ viginti diebus ſemper deſcribuntur, vel* z *tres priores ſeptenarii viginti dierum numerũ abſoluunt; idq; euenit propterea quod duo primi ſeorsũ numerãtur, ita vt decimo quarto die deſinant, tertius vero iunctim cũ ſecũdo, ita vt hic quoque vigeſimo die contineatur.* Hinc patet primam ſeptimanã eſſe à primo ad ſeptimum, ſecundam verò & tertiã ſequẽtibus tredecim diebus circũſcribi, quod nimirum decimusquartus ſit finis ſecundæ & initiũ tertiæ, ideoq; pars decimiquarti altera ad ſecundum, altera ad tertiũ ſeptenariũ cõſtituendum diſponatur. Eadem eſt ratio trigeſimi quarti ad quadrageſimum, quæ decimi

u *Gal. comm̃et. in prognoſ. 1. lib. 3. prognoſt.*

x *Idẽ ibid.*

y *Id. cap. 9. lib. 2. de dieb. decretor.*

z *Idem cõmẽt. in progneſ. 6. lib. 3. prognoſt.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

quarti ad vigesimum: a *quemadmodum enim decimusquartus secundæ septimanæ finis, & tertiæ initium est, non secus, trigesimo quarto die terminatur quinta, & sexta incipit septimana.* Cur autem res ita se habeat, planè explicat *b* Galenus; *supputatio huiusmodi*, ait, *per integros dies fieri non potest: quippe cum nec annus, nec menses ipsi integris diebus numerantur. Vt igitur* addit *c* Galenus, *annus ad trecentos & sexaginta quinque dies particulam diei maiorem quarto adiectam habet, tum mensis ad triginta dies absoluendos vnius dimidium desiderat: sic & septimana, sextâ maximè diei parte, vt septem habeat integros, indiget.*

Sub secundâ criticorum dierum differentiâ continentur ij, quos ἐπιδήλους indices & θεωρητὰς contemplandos seu spectandos vocat *d* Hippocrates: τῶν ἑπτὰ, inquit, ἡ τετάρτη ἐπίδηλος: & paulò post, θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη. id est, vt Foësio placuit, septenorum quartus est index, vndecimus etiam spectandus. Eos Galenus *e* *indices* & *f* *contemplatorios* seu *g* *contemplabiles* nuncupat. Sic & post Galenum *h* Georgius Bertinus: *i* Vidius, & *k* Amatus Lusitanus *speculatorios* *l* Bertrucius *indicatiuos*, *m* Nicolaus Florētinus *contemplatiuos & demonstratiuos*. Quocumque autem nomine eos insignire lubeat, non ideo aberratur ab Hippocratis doctrinâ, siquidem ijdem actu sunt, index, contemplandus,

a *Idem cap. 9. lib. 2. de dieb. decretor.*
b *Cap. 9. lib. 3. de dieb. decretor.*
c *Ibid.*
d *Aph. 24. sec. 2.*
e *Cap. 3. lib. 3. de crisib. & cap. 5. lib. 1. de dieb. decretor.*
f *Cap. 2. 7. & 8. lib. 1. & cap. 6. lib. 2. de dieb. decretor.*
g *Commēt. in aph. 24. sec. 2.*
h *Lib. de sign. prognost. cap. 7.*
i *Lib. 9. de curat. generat. cap. 6.*
k *Libell. de crisib. & dieb. decretor.*
l *Cap. 4. tractat. 2. lib. 2.*
m *Cap. 4.*

contemplabilis, indicans, ſpeculatorius, indicatiuus, contemplatiuus & demonſtratiuus: & in eo quoque conueniunt, quod idem omnes ſpeciale n τετραδων quaternariorum nomen ſint aſſequuti: ſuntque vſque ad vigeſimum diem, quartus, vndecimus, & decimus ſeptimus: ita numerat ipſos eorumque numerũ explicat o Hippocrates, τῶν ἑπτὰ, inquit, (ſi liceat prædicta quædam paucula clarioris doctrinæ gratiâ repetere) ἡ τετάρτη ἐπίδηλος. ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχὴ. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη. αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη μὲν ιδ' [hoc eſt τεσσαρεσκαιδεκάτης.) ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης. id eſt, ſeptenorum quartus eſt index: octauus eſt alterius ſeptimanæ principium: vndecimus etiam ſpectandus, is ſiquidem eſt quartus alterius ſeptimanæ: rurſus quoque ſpectandus decimus ſeptimus: is enim eſt quartus à decimo quarto, ſeptimus vero ab vndecimo. Sed quî fieri poteſt vt decimus ſeptimus ſit quartus à decimo quarto, ſeptimus vero ab vndecimo? facillimè profectò, vt eleganter demonſtrat p Galenus, per eandem nempe dierum ligaturam, quam ſupra de ſeptenariis enodaui.

An non plures [dicet aliquis] quam tres ſunt indices? imo hercule: nullus enim inter

tractat. 4. ſermon. 2.

n *Hippocr. prognoſ. 7. lib. 3. prognoſt. & lib. de ſeptimeſt. part. & Gal. comment in prognoſ. 1. & 12. lib. 3. prognoſt.*

o *Aph. 24. ſec. 2.*

p *Commēt. in aph. 24. ſec. 2.*

principes seu iudicatorios, qui suo indice munitus & stipatus non incedat. Cum autem illi sex numero existant, & eorum tres iam allati fuerint, consequens est vt tres adhuc supersint; sunt autem, vigesimus quartus, trigesimus primus, & trigesimus septimus, qui quidẽ pari serie dispositi, eodem temporis spatio à se inuicem distantes, simili nomine donati, & æquali indicandi robore, veluti tres præcedentes, accincti cernuntur: quare non sunt hîc vberius inuestigandi.

q *Gal. comment in prognos. 1 lib. 3. prognost.*

Tertio loco ponuntur q *intercidentes*, qui intermedij sunt, & inter iudicatorios & indices locum habent, & plus illorum quam horum naturam redolent, quod crises in iis plerumque fiant, licet r non firmæ, vnde dicebat ſ Galenus *tot iudiciorum esse differentias, quot dierum decretoriorum*: quemadmodum enim, vt aliquando docui, crises aliæ læti, aliæ tristis sunt auspicij; sic & dies ipsi in quibus illæ contingunt, variâ ratione fortunati deprehenduntur, ita vt hic sæpius salutem detegere, ille interdum conualescentiam, aliquando statum paulo infœliciorem producere, alter meram perniciem afferre consuescat. Ecquis, quæso, suam sexto diei vitam committere, mente concipit? nemo nisi propriæ necis amicus: si quem enim sextus iudicat, id t *cum difficilibus symptomatis, & periculo non mediocri exequitur*, ad

r *Idem ibid.*

ſ *Cap. 2. lib. 1. de dieb. decretor.*

t *Gal. loc. recent citat.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

hæc absque fide, imperfectè, obscurè, sine notis, & ad malum. Absit interim quod inter intercidentes sextum intermiscere velim: sed hoc dictum sit, vt non in illis modo, verum in singulis etiam ad vigesimum vsque diebus, (si duodecimum & decimumsextum exceperis, vt pote in quibus nullum vnquam ægrum se vidisse iudicatum fatetur *u* Galenus) iudicia posse contingere ratũ habeas. Intercidentes autẽ illi sunt omnes in impari numero collocati, scilicet in primâ quidem septimanâ; primus, tertius, & quintus: in secundâ; nonus, & decimus: in tertiâ; decimus quintus, & decimus nonus: eodem modo numerandum in reliquis tribus septimanis: nec multo minori, dies isti, ac prædicti, cõtemplatione indigent: etenim eorum singuli, vel iudicandi, vel iudicia prouocandi virtute laureati sunt.

u Ibid.

Postremò sequuntur vacui seu medicinales dicti. Vacui, quod omni manifestâ functione criticâ per se vacui sint & immunes: siquidem nec iudicant illi, nec indicant, nec prouocãt: Medicinales, quia Medico spatiũ agendi præbent. Sunt autem tales ex *x* Laurẽtio per tres priores septimanas ita dispersi: in primâ nimirũ, sextus: in secũdâ; octauus, decimus, & duodecimus: in tertiâ; decimussextus & decimus octauus: in quartâ vero, quintâ, & sextâ, pari ferme ordine succedunt, suntque, vigesimus secundus, vigesimus sextus, vigesimus octauus, trigesimus, trigesimus secundus,

x Cap. 5. lib. 2. de crisib.

(Cendrilla vivimenda)

trigesimus sextus, & trigesimus octauus. Miror quod doctissimus ille Medicus, secūdum diem inter medicinales saltem annumerare non dignatus fuerit. Sed, inquiet, nullo iure eum medicinalem dixeris, in quò medicinæ, siue medicamenta purgantia, tutò exhiberi nequeunt: talis autem est dies secundus: non ergo vacuus seu medicinalis vocari meretur. Minorem eo fulciet, quod secundo die sint cruda adhuc omnia y πέπονα δὲ φαρμακεύειν καὶ κινέειν χρὴ μὴ ὠμά; cocta autem medicari & mouere oportet, non cruda. Ergo &c. Respondeo; medicamenta purgantia alia directè purgant, vt sunt rhabarbarum, sennæ folia, agaricum, & alia eiusmodi quamplurima, alia vero leuiter aut nihil fere purgando intemperies emendant, humores peccantes alterant, & alios huius generis scopos adimplent: talia sunt, minoratiua, iulapia, apozemata, & aliæ potiones quæ ex decoctionibus incidentibus & attenuantibus, vel etiam ex refrigerantibus & incrassantibus, sæpius componuntur. Atqui hæc secundo die præscribi, quid vetat? Adde quod alias vacuationum species in illo fœliciter mouemus. Liceat igitur secundum diem, inter vacuos primum recensere, eumque aliis iam numeratis vacuis adiungere.

y Hipp. libell. de humoribus & aph. 22. sec. 1.

DE CRI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

DE CRITICORVM DIERVM differentiis membratim, ac primo de Septenariis.

CAPVT TERTIVM.

IN dignoſcendo & præcognoſcendo iudiciorum euentu, nullum negligendum eſſe diem, poſt *a* Hippocratem affirmo: σκοπεῖν χρὴ, inquit, τὸν μέλλοντα ἰητρὸν ὀρθῶν στοχάζεσθαι τῆς τῶν καμνόντων σωτηρίας: θεωρεῦντα μὲν περὶ τὰς πάσας ἡμέρας. etenim Medicum qui de ægrorum ſalute rectè coniectare volet, animaduertere oportet, vt omnes quidem dies in contemplationem adhibeat. Cum autem eorum alij aliis præſtantiores exiſtant, fit vt hi minorem, illi maiorem, alij maximam Medici ſolertiam poſtulent. Inter poſtremos primas obtinent ſeptenarij, vt qui ad hominis conſeruationem vires ſuas intendunt & applicant. Cur vero iſtis indoles illa benefica peculiariter tribuatur, decidere, non parum eſt negotij: credendum tamen numerum illum aliquid contemplatione non indignum continere, atque inibi occulti quidquam latêre, vt ex authorum monimentis colligi poteſt. πολλαὶ μὲν νοῦσοι, inquit *b* Hippocrates πολλαὶ

a Lib. de ſeptimeſt. part.

b In fin. lib. recent. extat

de septimest. part. δὲ ὑγιείαι γίνονται κατὰ λόγον τοῦ χρόνου, πρὸς μῆνας τε καὶ τὰς ἡμέρας ἑκάστας τοῖς ἑβδόμοις. multi quidem morbi, multæ etiam ſanitates, contingunt pro temporis ratione, quam habent menſes aut dies ſinguli ad ſeptenarios. *c* ὁ δὲ αἰὼν ἐστὶ τοῦ ἀνθρώπου, ἑπταήμερος. hominis autem vita ſeptem dierum numero circumſcribitur. *d* πρῶτον μὲν ἐπὴν ἐς τὰς μήτρας ἔλθῃ ὁ γόνος, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἔχει ὁκόσα περ ἐστὶν ἔχει τοῦ σώματος. ac primum quidem vbi genitura ad vteros peruenerit, habet intra ſeptem dies quęcumque ex corpore ei accedere neceſſum eſt. Iterum *e* τὸ παιδίον ἑπτάμηνον γόνον γενόμενον, λόγῳ γίγνεται καὶ ζῇ: ὀκτάμηνον δὲ γενόμενον, οὐδὲν βιοῖ πώποτε. puer ſeptimo menſe natus, certâ ratione in lucem prodit, & vitalis eſt: octauo verò menſe natus, nullus vnquam vixit. Porro non ſecus ſeptenum quędam quaſi gradum, in proceſſu ſuo obſeruat hominis mors, ac eiuſdem vita & ortus: ſi quis enim ſeptem dierũ ſpatio potu & cibo ſibi interdicat, vel intra eos, vel ſtatim poſt deficiet omnino, vitãque cũ morte commutabit. Huic ſententiæ ſubſcribit *f* Hippocrates ὅστις, inquit, ἐθέλει ἑπτὰ ἡμέρας φαγέειν ἢ πιέειν μηδὲν· οἱ μὲν πολλοὶ ἀποθνήσκουσιν ἐν αὐτῇσι. quicumque ſeptem diebus nihil edere aut bibere vult, in his moritur. Quomodo autem horum ſingula

c Hipp. libel. de carnib.
d Idem ibid. & Gal. cap. 5 lib. 3. de dieb. decretor.
e Hipp. libell. recent. itat..
Ibid.

eptenariis à naturâ regãtur, paucis mortaliũ onstat. At vero ſeptenariorum primum & rimatem diem, ſeptimum eſſe, neminem ni- rei criticæ penitus imperitum latet: hic nim fatali veluti proſperitatis afflatus du- tuſue numine, parum & raro, à ſalutaris & fficioſi muneris ſui ſemitâ deerrare moris abet.

Nec tamen ideo g Medicorum Arabum prin- eps de huius præſtantiâ litem mouere, & an lecimoquarto laudabilior ſit, in dubium re- ocare debuit: etenim *decretorius omnium for- ißimus*, inquit h Galenus, *eſt dies ſeptimus. Quot in ſeptimo die iudicatos viderim*, addit i ip- ſe *numerare omnes non poſſum. Qui in ſeptimo die iudicantur, abſolutè, ſecurè, tuto, apertè, cum bonis ſignis, & dextrè iudicari ſolent.* Hæ ſunt debitæ ſeptimo diei δυνάμεις, quæ neque decimoquarto, nec vlli alii vnquam ab Hip- pocrate aut Galeno conceſſæ ſunt. Eſt ergo ſeptimus non criſibus ſimpliciter, ſed inſuper bonis criſibus abundans, vnde tum decimo- quarto, tum maximè cæteris omnibus decre- toriis anteponendus eſt. Quod ſi de ægris ſeptimo die fœliciter liberatis, certiora in- credulus optes exempla, mille habes in Epi- demicis Hippocratis, ſiue de morbis epide- micis, libris, nominatim verò in primo & quarto. Sed agamus iterum de numero ſep- enario, nam eſt fortaſſis omen in nomine,

g *Anicen. ſermon.* 2. *lib.*4.
h *Cap.* 8. *lib.* 2. *de dieb. decretor.*
i *Gal. cap.* 2. *lib.* 1. *de dieb. decretor.*

vt eleganti sermone demonstrat doctissimus
k Lib. 8. anatom. quæst. 31. k Laurentius quem, de verbo ad verbum propter multa quæ continet admirabilia, hîc referre non pigebit, *eius*, inquit, de septenario numero disserens, *tanta est majestas, tanta diuinitas, vt eum veteres* σεβασμιὸν καὶ σεμνὸν, *id est, sacrum & venerandum appellarint. Indorum* Magi, *& sapientißimi Ægyptiorum Sacerdotes, Septenarium maioris & minoris Mundi Numerum vocarunt. Philo Iudæus libro de Mundi opificio, hanc Septenario prærogatiuam tribuit, quod* μόνος οὔτε γεννᾶν πέφυκεν οὔτε γεννᾶσθαι, *quod solus neque gignere, neque gigni natus est. Ex aliis Numeris, qui intra denarium sunt, alij gignunt, & non gignuntur, vt vnitas; quidã gignuntur, & nõ gignũt, vt octonarius, quidã & gignũt, & gignũtur, vt quaternarius. Solus septenarius nec gigni nec gignere natus est. Hinc eius diuinitas & perfectio. Quidquid enim nec gignit, nec gignitur, immotũ manet. Pythagorici septenarium humanæ vitæ vinculum & nexum nuncuparunt, quem nodum nexumue agnoscens Tullius, in somno Scipionis, Septimus, inquit, Numerus omnium rerum nodus est. Est Numerus hic maximè harmonicus, & quasi fons pulcherrimi diagrammatis, quia harmonias omnes, diatessaron, diapente, diapason; omnes item proportiones, Arithmeticam, Geometricã, harmonicam continet. Theologi Septenarium Numerum perfectionis vocant, quod septimo die perfecta sint omnia, vnde*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

& septimam τελεσφέρον dicunt; Numerum quietis, quod septimo die quieuerit Deus ab operibus suis; Numerum sanctificationis, quod eum Filijs Israël tanquam celebratißimum commendârit Moses; Numerum vltionis, Numerum pœnitentiæ, Numerum beatitudinis: vnde vulgatum illud: O terque quaterque beati. De Septenarij laudibus Philo Iudæus, & Linus Poëta antiquißimus mira scripserunt. Mitto quod à plurimis obseruatum est, septem esse in orbe Miranda, Sapientes veteres Septem fuisse: eundem numerum Septentriones maiores & minores in Cælo facere: Cælum Septem cinctum Circulis: Septem Stellas erraticas. Vrsam Septem Stellis constare: Pleiadum choros ex Septem Stellis absolutos: Septem esse quæ conspiciuntur; Septem vocis mutationes: Septem physicos & naturales Motus; Septem apud Græcos Vocales: Septem Ætates: Septimam auream Ætatem futuram, Septem Ostia Nili, Septem Metalla, Septem Artes Liberales, Septem in sacrâ Palladis arce Fenestræ, Septem quæ vna sibi muro circumdedit arces, Septem humanarum actionum causæ, Septem de stirpe Homeri certantes Vrbes, Marem Septimum numero, mirâ & occultâ proprietate scrophulas persanare, Fœminam Septimam numero suâ præsentiâ partum iuuare, Heptaphyllon herbam venenis resistere. Hæc

*omnia lubens sciensque prætereo. Fate-
enim, multas nugas Numerorum prætext
circumferri. Venio ad Philosophicas Medi-
cas demonstrationes. Commemorabile est
quod obseruarunt Philosophi & Medici vi-
tam nostram Septenariis dispensari, ὁ δ
αἰὼν, inquit Hippocrates libro περὶ ἀρ-
χῶν, τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ ἑπταήμερος. i
est, Hominis ætas Septenario dierum nu-
mero constat. Nam & plerique eorum, qu
per dies Septem nihil quicquam aut ede-
re, aut bibere volunt, his ipsis diebu
moriuntur, quia contrahitur Ieiunum In-
testinum, & Ventriculus diuturnâ officij
vacuitate, sui omnino redditur immemor.
Semen, quod post eiaculationem Viri in-
tra Septem horarum spatium non fuerit in
effusionem relapsum, hæsisse in vitam pro-
nuntiatur. Septimo post conceptionem die,
Spermaticarum omnium partium prima ap-
parent rudimenta, habetque (ait summus
mus Dictator) Genitum septimo die, quæ-
cumque corpus habere par est. Septime-
stres partus ζώσιμοι sunt, non octime-
stres: Septimo post partum die iactat re-
liquias Vmbilici. Post bis Septem incipit
ad lucem visus eius moueri, post sep-
ties Septem liberè, iam & pupulam &*

totam faciem vertit ad motus singulos. Septimo mense dentire incipit. Post bis septem sedet sine casus timore, post ter septies sonus eius in verba procumpit. Post quater septies incedit: post quinquies septem incipit Lac nutricis horrescere. Septimo anno dentes permutat, fit, vt scribit Hippocrates libello περὶ ἀρχῶν, Dentium tertia generatio, à solidioribus alimentis: tunc loquendi integritas absoluitur, vnde Septem apud Græcos vocales. Bis septem annis peractis lucent pubertatis indicia: puellis enim erumpunt menstrua, turgent Mammæ, nouâ lanugine insperguntur Genitalia; totum corpus libidine titillatur: Mares vero τραγίζειν καὶ ἀφροδίζειν, Id est, hircire, vocem asperiorem edere, & Venerem agnoscere, incipiunt, ob natiui caloris ἐκλάμψιες. Post ter septenos firmam aggrediuntur ætatem. Quarto, quinto, & sexto Septenariis conseruantur vires, eaque ætas virilis & constans dicitur. Septimus Septenarius quadratus est. Nonus climactericus & periculosissimus indicatur: obseruatum enim in multâ hominum memoriâ expertumque est (vt notat A. Gellius) in senioribus plerisque, hunc vitæ annum cum pe-

riculo & clade aliquâ venire aut corporis morbique grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. Elegans legitur apud eundem authorem diui Augustini ad Caium nepotem de anno climacterico congratulatio. Aue, inquit, Cai, ocellus iucundißimus, quem semper medius fidius desidero cum à me abes; sed præcipuè diebus talibus qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium; quem vbicumque hoc die fuisti, spero lætum & beneualentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum: nam vt vides, climactera seniorum omnium communem tertium & sexagesimum annum euasimus: Decimus Septenarius qui septuagesimum annum complet, meta creditur viuendi: quod Regius ille Propheta cœlesti plenus numine ita cecinisse est visus. Septuaginta anni dies sunt hominis, hos vltra, labor & dolor: sunt ergo Septenarij omnes & dies & menses & anni (quos hebdomaticos vocant) maximè considerandi, quoniam insignes in illis mutationes contingunt: propterea monet Ficinus ille Platonicus, vt qui vitam producere cupit, Septimo quoque anno Astrologum quidem, vt vnde impendet vitæ periculum intelligat: Medicum vero, vt rectam victus rationem præscribens, Astrorum minas & vim maleficam effugiat. Aristoteles septimo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

de hiſtoriâ animal. hoc quaſi eximium Septenario tribuit, quod ſingulis Septenariis mutationes maximè contingunt. Galenus ſanitatis præcepta tradens per Septenariorum rationem, ætatum facit diſcrimina. Meritò itaque Pythagorici Septenarium rerum omnium principium, Tullius rerum omnium nodum nexumue, (geminam quippe vim habet vinciendi) Medici vero certâ experientiâ perſuaſi, Regem inter decretorios dies appellârunt. Propterea Pythagorici & Arithmetici Septimeſtres Partus vitales eſſe volunt, quod impari & perfectiſſimo numero conſtent. Egregia ſanè verba! quibus iſtos adde vatis antiqui verſiculos.

Septima cum venit lux cuncta abſoluere cœpit
Omnipotens pater, atque bonis eſt ſeptima, & ipſa
Eſt etiam rerum cunctarum ſeptima origo.
Septima prima eadem, perfecta & ſeptima, ſeptem
Vnde etiam Cælum ſtellis errantibus altum
Voluitur, in circlis totidem circum vndique fertur.

Adde etiam ſeptimam auream ætatem futuram, quæ vniformis primæ & concors erit in omnibus, cæteraſque [vt *l* Lactantio Firmiano placet) ætates ſuperabit. Sed

l lib. inſtitution.

hæc ſatis de primo Septenario, transea-
musad ſecundum.

Secundus Septenarius eſt decimusquartus morbi dies, qui vt ordine, ita & fortitudine ſeptimum immediatè ſequitur, eiuſque vires propemodum adæquat. Conquerí tamen quiſpiam poterit, quod huic, tanquam ſeptenario, non eadem quæ ſeptimo, tribuatur poteſtatis excellentia: cui ſic reſpondet *m* Auicennas; *quo magis*, inquit, *dies à morbi principio diſcedunt, eo debiliores fiunt, ideo ſeptimus decimoquarto fortior eſt.* Eâdem ratione decimusquartus principalior [liceat *n* Nicolai vocabulum vſurpare) vigeſimo cenſebitur: quod poſt *o* Auicennam & *p* Galenum, concedit nobis *q* Amatus Luſitanus, cum *poſt ſeptimum diem, decimumquartum palmam obtinere,* effatur. Cæterum decimusquartus dies acutorum terminus eſt, vt ex Hippocrate & Galeno ſatis ſupra probatum eſt, eoſdemque potentiſſimè decernit ac iudicat, vt apud *r* Hippocratem fœliciter expertus eſt Æger decimus tertius. Atque morbi qui olim ſeptimo die iudicium obtinebant, in decimoquarto terminum nunc habent; idque ex eo quod ab hominum ingluuie & intemperentiâ, ſucci grauiores & lentiores redditi ſint,

m *Fen.*1.*lib.* 4. *cap. de dieb. bon.& mal.*

n *cap.* 4. *tractat. de dieb. cretic.*

o *loc.rec.citat*

p *cap.* 5. *lib.* 1. *de dieb. decretor.*

q *cap.* 11. *libell. de dieb. decretor.*

r *ſec.* 3. *lib.* 1. *epidem.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

vnde acuti morbi, recusâ ab eâ humorum crassitie illorum (si fas dicere) acutie, longiores facti, tardius quam antea iudicantur, imo ad vigesimum vsque & vltra, eorum iudicia non raro protrahuntur. Denique decimoquarto die capitis vulnera maximè iudicari, longâ experientiâ comprobatum est, teste ſ Hippocrate.

Sequitur vigesimus dies qui t *inter magni nominis decretorios tertias possidet*, & quemadmodum iudicia quæ decimoquarto, non adeò ac ea quæ septimo contingunt, vehementia existunt: sic remissâ sensim in processu (quia omne agens agendo repatitur) morbi violentiâ, debiliores efficiuntur crises vigesimo quam decimoquarto; quod clarissimis verbis me docuit u Galenus; *vehementissimæ, ait, sunt crises quæ vsque ad quartumdecimum diem veniunt: minus eæ, quæ ad vigesimum vsque pertingunt. Vt enim,* addit x ipsemet, *iudiciorum vehementia paulatim procedente tempore dissoluitur, ita & decretorios obscurari planè accidit.* Cur autem vigesimus quam vigesimus-primus magis decernat, explico. Morbi qui tamdiu durant non exactè acuti, sed potius diuturni quam verè acuti sunt, huiusmodi vero morborum accessiones paribus diebus fiunt, teste y Galeno, ac proinde paribus iudicantur,

ſ *libel. de Carnib.*

t *Amat. Lusit. cap. vlt. libel. de dieb. decret.*

u *cap. 18. lib. 1. de cris. & cap. 8. l. 2. de dieb. decret.*

x *Gal. cap. 8. lib. 2. de dieb. decret.*

y *cap. 9. lib. 3. de dieb. decret.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

z Gal. cap. 8. lib. 3. de dieb. decretor.
a Hipp. sec. 3. lib. 1. epid.

sicuti vice versâ, z *acutorum accessiones in diebus imparibus sunt, & ideo in imparibus etiam eorum iudicia contingunt*: nec hoc absque ratione, a τὰ γὰρ παροξυνόμενα ἐν ἀρτίῃ, κρίνεται ἐν ἀρτίῃσιν. ὧν δὲ οἱ παροξυσμοὶ ἐν περισσῇσι, κρίνεται ἐν περισσῇσι. Morbi enim qui diebus paribus inuasiones habent, diebus paribus iudicantur, quorum vero accessiones imparibus diebus fiunt, imparibus etiam decernuntur. Hanc sententiam mille fere exemplis probat b Hippocrates, quæ omnia hic tacere, breuitatis commodo non vti esset, sed abuti: ac proinde duorum ægrorum in quorum vtroque paribus diebus, sed dissimili successu, mouebatur morbus, historiam breuiter recenseo. c Φιλίσκῳ πυρετὸς ὀξύς, δευτέρῃ πάντα παροξύνθη. τετάρτῃ καὶ πάντα παροξύνθη. περὶ δὲ μέσον ἡμέρης ἑκταῖος ἀπέθανε. Philisco febris acuta contigit, postridie ingrauescebant omnia: quarto etiam omnia grauiora euaserunt: die sexto circa meridiem obiit. Τούτῳ d addit οἱ παροξυσμοὶ ἐν ἀρτίῃσιν. Id est, huic accessiones diebus paribus acciderunt. Deinde e ἐν Λαρίσσῃ παρθένον πυρετὸς καυσώδης ἔλαβεν, ὀξύς. δευτέρῃ ἐπιπόνως. τετάρτῃ οὔρησε λεπτὸν ὀλίγον &c. ζ, ἀπύρετος ἐκρίθη. ταύτῃ οὐχ ὑπέστρεψεν, ἀλλ' ἐκρίθη. Larissæ virginem quandam febris ardens & acuta prehendit:

b in libris epid.
c Hipp. sec. 3. lib. 1. epid.
d Hipp. ibid.
e Hipp. sec. 3. lib. 3. epi. dem.

poſtridie moleſtè habuit: quarto vrinam tenuem & paucam reddidit: ſexto ex febre immunis iudicatoine liberata fuit: huic morbus non rediit; ſed iudicatione eſt abſoluta. καὶ addit ſicuti ſupra οἱ πόνοι ἐν ἀρτίησι. Et dolores diebus paribus inuadebant. Ergo f *vigeſimo criſes magis quam vigeſimo primo* ſe prodere certiſimum eſt, quod ille par, longiſque eiuſmodi morbis iudicandis aptus; hic vero impar, atque adeo illis non amicus exiſtat. Quod porro vigeſimus iudicandi poteſtatem habeat; ne commentum protuliſſe videar, authoritate (licet vnicâ, vt cito finem attingam) ſic confirmo; g χαιρίωνα ὃς κατέκειτο Δημαινέτῳ, ἐκ ποτοῦ πῦρ ἔλαβεν· τρίτῃ ἡμέρῃ πυρετὸς ὀξὺς &c. εἰκοστῇ τελέως ἐκρίθη. Chærion qui apud Demænetum decumbebat, ex potu, igne, hoc eſt febre calidiſſimâ correptus eſt: tertio die febris acuta inuaſit: &c. vigeſimo perfecta iudicatione eſt abſolutus. Alia ſunt in epidemicis de perfecte fauſtis vigeſimi iudicationibus exempla, ſed hoc recens allatum pro omnibus ſufficiat. Reſumo itaque meos ſeptenarios, quorum tribus ordine & dignitate prioribus iam expoſitis, verbulum de cæteris loqui, opportunum cenſeo, neque enim me illis diutius inſiſtere, ratio ſinit, cum raro proprie dictæ in iiſdem criſes appareant, & acutos tantummodo ex deciden-

f *Gal. cap. 9. lib. 3. de dieb. decret.*

g *Hippocr. ſec. 2. lib. 3. epid.*

falſ.[illegible]

tiã morbos iudicent: veruntamen plerosque
ægrotantes cum commotione non exiguâ à
morbis suis ac symptomatis perfectè euasisse
scripsit Hippocrates, ex quo ægros tres tibi
h Hippocr. sec. 3. lib. 3. epid. testes offero, videlicet *h* Ægrum septimum
qui vigesimoseptimo, *i* Ægrum octauum qui
i Hipp. ibid. trigesimoquarto, & κ Ægrum tertium qui
κ Hipp. sec. 1. lib. 3. epid. quadragesimo τελέως ἐκρίθη perfecta iudi-
catione liberatus est. Atque hic absoluitur
dierum qui absolutè iudicare solent, incho-
ata explicatio. Nota tamen quod non mo-
do in postremò enarratis, & in vigesimo;
verum etiã in ipsis septimo & decimoquar-
to, qui fidæ fidei perhibentur, iudicia ad
mortem sæpissime cernuntur. De quadra-
gesimo quidem exploratum est, quod eos
qui vigesimo vel alio post vigesimum de-
cretorio, imperfecte iudicati sunt, sæpius
quam sæpe pessimè iudicet. Atqui de tam
communi euentu exemplum dare, absur-
dum puto: at vero non adeo vulgariter con-
tingunt in trigesimoquarto ad perniciem iu-
dicia: multis tamen ipsa ægrotis contigisse ex
Hippocrate referre possem, sed sat erit vnum
ex iis prodere, nimirum decimumtertium
l Hipp. sec. 3. lib. 3. epid. eumque *l* Ἀπολλώνιον ἐν Ἀβδήροισιν, ὃς μὲν
τριηκοστῇ τετάρτῃ ἐπὶ θάνατον ἐκρίθη. Ab-
deræ Apolloniũ, qui quidẽ trigesimoquarto
die ad mortem iudicatus est. Vigesimus septi-
mus & vigesimus in eodem fere periculo, vel

altè eâdem ferme (vt ita dicam] insecuritate versantur : in iis autem diebus, vt & in decimoquarto apparentes crises, dubias & ancipites æstimandas esse non inficior, cum permulti, ac præsertim tempore Hippocratis, in iisdem per subitas mutationes obierint, vt Epidemicos legenti patebit, ex quibus, ne falsa asserere pertinacibus videar, authoris ipsissima vocabula exprimo. *m* Ἑρμοκράτην, *m Hippocr. sec. 1. lib. 3. epid. & Gal. lib. 2. de difficult. respir.* ὃς κατέκειτο παρὰ τὸ καινὸν τεῖχος, πῦρ ἔλαβεν. ἤρξατο δὲ ἀλγέειν &c. ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ ἀπέθανε. Hermocratem qui secundum nouum murum decumbebat, ignis, hoc est febris vehementissima corripuit: cœpit dolere &c. vigesimoseptimo die obiit. Quod ad vigesimum attinet. *n* ἐν Θάσῳ Φιλίνου πῦρ ἔλαβεν &c. εἰκοστῇ ἀπέθανε. *n Hipp. sec. 3. lib. 1. epid.* Philini vxorem in Thaso ignis hoc est febris vehementissima prehendit : vigesimo die obiit. Occurrit tandem decimusquartus, qui licet aliquid commodi persæpius producat, calorem tamen natiuum, in quo vis vitæ delitescit, extinguere non ignorat : etenim *o* ἄρρωστον δωδεκάτον πῦρ ἔλαβεν &c. τεσσαρεσκαιδεκάτῃ, αἷμα διὰ ῥινῶν, ἀπέθανε. *o Hipp. sec. 2. lib. 3. epid.* Æger duodecimus igne, hoc est, febre vehementissimâ correptus est &c. decimoquarto die, sanguine per nares effluxo, vitâ defunctus est. Sed quid de septimo, quid inquam de clementissimo illo Galeni Rege notabimus? nil certè

à Regis iuſtitiâ alienum: quemadmodũ enim Regum eſt his vitam periclitantem reſtaurare, eorundemq; bona tueri, illis vero (ſed hoc rariſſimè] vitæ commoda, ipſamque vitam, idque ſemper vbi ita procedendum eſſe, iura dictant, & nunquam ſine cauſâ legitimâ, repente auferre: nihiloſecus ſeptimus noſter eos tantum quos per iuris ſui poteſtatem ſeruare nequit, neci tradere cogitur. Quod autem ad ſalutem noſtram maximè propenſus ſit, ſatis antea decantaui: de ſiniſtris vero caſibus quibus obnoxius eſt, dicendum venit, vt aperto defectu, quid in eo perfecti ſit, plenius agnoſcamus; contraria enim contrariis oppoſita magis eluceſcunt. *p* νοῦσος ἡ καλουμένη λήθαργος &c. οὗτος ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσει. Morbus quẽ lethargũ vocant &c. talis intra ſeptem dies moritur. Deindeq *q* ὁπόταν πλευρῖτις λάβῃ, τάδε πάσχει. ὀδύνη τὴν πλευρὴν &c. ὁπόταν δὲ προσῇ καὶ λύγξ ἅμα καὶ αἵματος θρόμβους ἀποβήσσῃ ἅμα τῷ σιάλῳ μέλανας, οὗτος ἀποθνήσκει ἑβδομαῖος. Cum morbus lateralis corripit, hæc contingunt; dolor pleuram &c. Cum autem vrget, vna ſingultus adeſt, ſimulque cum ſputo ſanguinis, grumos nigros tuſſi reiicit: hic ſeptimo die moritur. Sunt ergo morbi quidam qui ſeptimo die iugulare ſolent. οὗτος δὲ ὀξείῃ ὀδύνῃ ξὺν πυρετῷ ξυνέλει τε καὶ ἰσχυρῷ; δεινόν. κίνδυνος γὰρ &c.

p *Hipp. lib. 2. de morb*

q *Hipp. lib. 3. de morb.*

&c. ἀπολλύνται δὲ οἱ μὲν νεώτεροι τῶν ἀνθρώπων, ἑβδομαῖοι. Id eſt, auris dolor acutus cum febre continuâ & vehementi, grauis; periculum enim &c. moriuntur autem ex hoc morbo iuniores quidem homines ſeptimo die. Hoc effatũ de lethargo confirmat r Foëſius. Cum autem mors ſeptimo die mortalem corripit, non dies iniquitate, ſed ægritudo inhumanitate & ferociâ accuſari, arguïque debet. Quid hoc interim quod nullũ ægrum in eo emortuum producam? quid immoror? Redeamus igitur ad facundum noſtrum Hippocratem exemplorum Medicorum totiusq; ἰητρικῆς fontem fœcundum. ſ τὸ μειράκιον ὃ κατέκειτο ἐπὶ ψευδέων ἀγορῇ, πῦρ ἔλαβεν ἐκ κόπων καὶ πόνων &c. ἑβδόμῃ ἀπέθανε. qui ad mendacium foro decumbebat adoleſcens, igne, ſeu febre vehemẽti correptus eſt, ex laſſitudinibus, laboribus, &c. ſeptimo die obiit. Rurſus t γυναῖκα ἐξ ἀποφθορῆς νηπίου τῶν περὶ Παντιμίδην· τῇ πρώτῃ πῦρ ἔλαβεν· ἡ γλῶσσα &c. τρίτῃ, μείζους οἱ πόνοι; τετάρτῃ, παρέκρουσεν· ἑβδόμῃ, ἀπέθανε. ex his quæ circa Pantimidẽ erant, mulier quædã ex fœtus abortione: primo die, igne, hoc eſt febre vehemẽtiſſimâ correpta eſt: lingua &c. tertio die inaugebantur dolores: quarto delirauit: ſeptimo interiit. Denique u ἑτέρην ἐξ ἀποφθορῆς περὶ πεντάμηνον, πῦρ ἔλαβεν· ἀρχομένη δὲ, κωματώδης &c. ἑβδόμῃ, ἀπέθανε. alterã ex

r comment. in prognoſ. coac. 140.

ſ Hipp. ſec. 2. lib. 3. epid.

t Hipp. ibid.

u Hipp. ibid.

abortiuo fœtu circiter quintũ mensem, ignis, hoc est febris vehementissima prehendit: per exordia verò sopore &c. septimo extincta est. Aliud habes exemplum initio libri quinti Epidemiωn.

DE SECVNDO DIERVM CRITIcorum ordine, nempe de indicantibus.

CAPVT QVARTVM.

DE iudicii viciniâ & laudabili qualitate præsentiri vix potest, si priùs humoris morbum committentis coctio, & alia boni ominis signa præmonstrata non fuerint. Hoc benignitatis negotium inire adsolét indicantes dies, quos cum antea positiuè tantum & obiter admodum retulerim, fusiùs hîc eosdẽ declarare, rationi cõsentaneũ est. Eorũ itaque nonnullæ sunt differentiæ, quas antequam exponam, præmittendum censeo, quod non modo indices, verum etiam iudicantes non rarò se præbent; atque illi præsertim qui à primo ad vigesimum interiacent: nimirum quartus, vndecimus, & decimusseptimus, in quibus non dimidiæ, seu imperfectæ, verum sæpius perfectæ ad salutem aut perniciem crises efficiuntur, vt ex præci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

uis Medicæ diſciplinæ authoribus ſigilla-
m colligemus: ac primò quidem de quar-
o ſic x Hippocrates οἱ εὐηθέστατοι τῶν πυ-
ετῶν, καὶ ἐπὶ σημείων ἀσφαλεστάτων βεβῶ-
ες τεταρταῖοι. παύονται. οἵτε δὲ κακοηθέ-
ατοι καὶ ἐπὶ σημείων δεινοτάτων γινόμενοι,
εταρταῖοι κτείνουσι: id eſt, mitiſſimæ febres
quæ ſecuriſſimis fulciuntur ſignis, die quar-
o deſinunt: quæ vero admodum malignæ
unt, & cum grauiſſimis ſignis fiunt, quarto
ie interficiunt. Idem & y Galenus.
Hîc ergo de iudiciis perfectè bono & per- y comment. in aph. 24. ſec. 2.
ecte malo in quartum diem [quem z Hippo-
rates primum numerauit inter pares qui iu- z ſec. 3. lib. 1. epid.
licant] incidentibus, authoritatem non men-
lacem habes, quam ſequuntur de vtroque iu-
licii genere exempla. a ἄῤῥωστος τέταρτος, ὃς a Hipp. ſec. 3. lib. 3. epid.
φρενιτικὸς τῇ πρώτῃ κατακλιθεὶς, ἤμεσεν
ὠδέα, πολλὰ, λεπτὰ, &c. τετάρτῃ ἐπὶ θά-
ατον ἐκρίθη. Æger quartus qui ex phreniti-
de laborãs decubuit, multa deiecit æruginoſa
& virulẽta tenuia, &c. quarto die ad mortẽ iu-
dicatus eſt. Sed humaniùs dies ille erga Ægrũ
extum ſe geſſit. b Ἐν Ἀβδήροισι Περικλέα, b Hippocr. ibid.
οῦσος ἔλαβεν ὀξὺς, ξυνεχὴς μετὰ πόνου δί-
ψα πολλὴ &c. τετάρτῃ περὶ μέσον ἡμέρης,
ἵδρωσε πολλῷ θερμῷ δι᾽ ὅλου. ἄπυρετος ἐκεί-
θη. οὐχ ὑπέστρεψεν. Abderæ Periclem fe-
bris acuta continua cum dolore prehendit:
itis multa &c. quarto die ſub meridiem ſudor

multus calidus toto corpore dimanauit, à febre iudicatione est absolutus, nec recidiuam passus est. Eodem restituendæ sanitatis, eodẽ necis adducendæ imperio perunctus censebitur vndecimus, si Græcorum Medicorũ principi fidem adhibere fas est: sed fas. Περὶ Ἀρκτοῦρον c inquit ἑνδεκαταίοισι πολλοῖσιν ἔκρινε, καὶ τουτέοισιν οὔθ' αἱ κατὰ λόγον γενόμεναι ὑποστροφαὶ, ὑπέστρεφεν. multi circa Arcturũ vndecimo die iudicatione absoluti sũt: neq; his, quæ ob iustã causã fieri solent morborũ reuersiones, recurrerũt: & hâc quidẽ sortis prosperitate potitus æger decimusquartus, saluus & incolumis euasit. d Μελιδίη, ἣ κατέκειτο παρὰ τὸ τῆς Ἥρης ἱερὸν, ἤρξατο κεφαλῆς, καὶ τραχήλου, καὶ στήθεος πόνος ἰσχυρὸς· αὐτίκα δὲ πυρετὸς ὀξὺς ἔλαβε· γυναικεῖα δὲ σμικρὰ ἐπεφαίνετο, &c. ἐκρίθη τελέως ἑνδεκαταίη. Melidia quæ ad Iunonis ædem decũbebat, capite, ceruice, & pectore, vehemẽter dolere cœpit, confestimq; febris acuta prehẽdit. Menstruæ purgationes paucæ visæ sũt, &c. vndecimo die iudicatione est absoluta. Multos etiã eodẽ obiisse, testis est Hippocratis textus, ex quibus vnũ & alterũ fidei gratiâ propono. e Σιληνὸς ᾤκει ἐπὶ τοῦ Πλαταμῶνος πλησίον τῶν Εὐαλκίδου, ἐκ κόπων, καὶ γυμνασίων ἀχαίρων, πῦρ ἔλαβε. ἤρξατο δὲ πονέειν &c. ἑνδεκάτῃ ἀπέθανε. Silenus qui in Platamone habitabat, iuxta Eua-

c Hippocr. flat 3. sec. 2. lib. 1. epid.

d Hipp. in fine lib. 1. epid.

e Hipp. æg. 2. sec. 3. lib. 1. epid.

elidis ædes, ex laboribus, compotationibus, & exercitationibus intempestiuis, igne, hoc est febre vehementissimâ correptus est: cœpit autem dolere &c. vndecimo die obiit. Rursus f ἄνθρωπος θερμαινόμενος ἐδείπνησε, καὶ ἔπιε πλέον· ἤμεσε πάντα νυκτὸς· πυρετὸς ὀξὺς, ὑποχονδρίου δεξιοῦ πόνος. &c. ἑνδεκάτῃ ἐπὶ θάνατον ἐκρίθη. Incalescens quidã cænauit bibitque largiùs, nocte, omnibus vomitu refusis, febris acuta prehendit, cum præcordii dextri dolore: vndecimo die mortuus est.

f Hipp. ag. 12 sec. 3 lib. 1. epid.

Decimusseptimus tot laudes sibi per experientiã cõparauit, vt inter securiores iudicãtes dignam sedẽ etiam ab inuitis animis quasi extorquere videatur. Sed, inquies, vbi est illa experientia? g ἕκαστοι δὲ ὑπογεγραμμένων πυρετῶν πολλοῖσιν ἐγίνοντο. οἱ μὲν οὖν καῦσοι ἐλαχίστοισί τε ἐγίνοντο, καὶ ἥκιστα τῶν καμνόντων οὗτοι ἐπόνησαν. ἐκρίνετο δὲ τουτέοισιν πάνυ εὐτάκτως. Τοῖσι πλείστοισιν ἐν ἑπτακαιδεκα ἡμέρῃσιν. οὐδὲ ἀποθανόντα οὐδένα οἶδα τότε ἐν καύσῳ. atq; enumeratarũ febrium singulæ multis oboriebantur, ardentes verò omnino paucis, iique ex ægrotantibus minimè laborarunt. Horum plurimis bene admodum composito & constituto iudicationis ordine, febris ardens in septemdecim diebus iudicatione soluebatur: atque haud scio quod quisquam tunc ex hâc ipsâ interierit. h *At hoc nondũ fidei satis forsan habet, quod decimumsepti-*

g Hippocr. stat 2. sec 2. lib. 1. epid.

h *Gal. cap. 3. lib. 2. de dieb. decret.*

mum diem ordini decretorio annumerandum eſſe
credamus. Adhibeamus igitur animũ iis quæ
i Hipp. ſtat. 3. ſec. 2. lib. 3. epid. ſubiunxit Hippocrates *i* τὰ δὲ περὶ τὰς κρί-
σιας inquit ἐξ ὧν καὶ διαγινώσκομεν ἢ ὅμοια
ἢ ἀνόμοια, οἱ τῶν οἱ δύο ἀδελφεοί. ἤρξαντο ὁμοῦ
τὴν αὐτὴν ὥρην κατέκειντο παρὰ τὸ θέατρον
Ἐπιγένεος ἀδελφέοι, τουτέων τῷ πρεσβυτέ-
ρῳ, ἔκρινεν ἕκτῃ: τῷ δὲ νεωτέρῳ, ἑβδόμῃ. ὑ-
πέστρεψεν ἀμφοτέροισιν ὁμοῦ τὴν αὐτὴν ὥρην:
καὶ διέλιπεν ἡμέρας πέντε. ἐκ δὲ τῆς ὑπο-
στροφῆς, ἐκρίθη ἀμφοτέροισιν ὁμοῦ τὸ ξύμ-
παν ἑπτακαιδεκαταίοισιν. Quod vero ad iu-
dicia attinet, ea vt ſatis perſpicere licet, aut
sũt inter ſe ſimilia, aut diſſimilia, velut in duo-
bus fratribus apparuit, qui ad Theatrũ Epige-
nis habitabãt, quibus cũ eâdẽ ſimul horâ mor-
bus cœpiſſet, ætate prouectiori, ſexto die: iu-
niori verò ſeptimo die decreuit: reuerſus vtri-
que eâdẽ ſimul horâ, dies quinque intermiſit,
atque ex reuerſione vterque ſimul in totũ die
k Hippocr. ibid. decimoſeptimo eſt iudicatione liberatus. *k* ἔ-
κρινε δὲ τοῖσι πλείστοισι πέμπτῃ. διέλιπεν
ἑβδόμῃ. ἐκ δὲ τῶν ὑποστροφέων, ἔκρινε πεμ-
πταίοισι. Plurimis autem quinto die decre-
uit, ſeptem intermiſit, & poſt reditũ die quin-
to, hoc eſt in totum decimoſeptimo, iudicatio
l Hipp. ibid. facta eſt. Deinceps *l* οἱ δὲ ἔκρινεν ἑβδομαίοι-
σι, διαλιπόντας τὴν τρίτην, ἔκρινεν ἑβδόμῃ.
nonnullus quoque morbus die ſeptimo iudi-
catus eſt, cumque diebus, tribus intermiſiſſet,

ſeptimo iterum, hoc eſt etiam decimoſeptimo à morbi exordio, decreuit. Sed audiamus quoq; Galenũ: *Quibus* m ait *ſeptimo die criſis aduênit, ſeptẽ quoq; diebus remiſſiones habuerũt: poſt recidiuã tertio iudicati sũt: ſcilicet hi quoq; in vniuerſũ decimoſeptimo. Poſt hæc rurſus: Quibus iudiciũ quinto die obuenit, & febris ſeptẽ diebus remiſit: deinde reuerſa triduũ eos exercuit: rurſus, die vno remiſit, altero rediit: & his decimoſeptimo de morbo iudicium contigit:* n οἱ τῷ τῷ Εὐάγοντι τῶ Δαϊθάρσεος. quemadmodum Euagonti Daïtharſis Filio. *Quinetiam* addit o Galenus de Hippocrate fabulam, ſeu potius hiſtoriam veriſſimam narrans, *alios quoſdam ſexto die criſim paſſos ſcribit ſex item diebus morbum remiſiſſe: dein reuerſum tribus diebus occupaſſe: poſtea remiſiſſe rurſus die vno, altero ipſius recidiuam accidiſſe, id eſt, decimoſeptimo, in quo iudicium factum fuit: tandem decimoſeptimo ipſo ſolutum. Verum alios quoſdam ſexto die iudicatos eſſe commemorat, ſeptem diebus morbum ceſſaſſe: poſt hos repetiiſſe, & quarto die, hoc eſt in ſummâ decimoſeptimo, iudicio fuiſſe diſcuſſum.* Cæterum *non contentus toto hoc ſermone Hippocrates, & ſi poſſet oſtendere decimiſeptimi diei fortitudinem in iudicio, nulli ægroto hâc ratione recidiuam eſſe factam, ſe cognouiſſe retulit. Quare non ſolum frequenter decernere, ſed inſuper firmiter decernere, idoneus eſt decimusſeptimus dies.* Hinc tres priores indicantes,

m *Gal. cap. 3. lib. 1. de dieb. decret.*

n *Hipp. ſtat. 3. ſec. 2 lib. 1. epid.*

o *cap. 3. lib. 3. de dieb. decretor.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

(reliquos enim, vt qui parui momenti sunt, sine magnâ lectoris noxâ obmitti posse existimo) atque eorum vltimum præsertim, iudicantium officio plerumque & integrè fungi, clarum sit & manifestum. Superest igitur vt eorundem differentias indicare & synonimias explicare contendam.

Ea est indicationis crisiũ natura, vt non in decretorios solummodo, sed etiam in intercidentes ipsos irrepere non desistat: vnde orta est trifulcata p *dierum indicantium diuisio in veros seu radicales indicatiuos, indicatiuos per accommodationem, & indicatiuos intercidentes.* Indicatiui veri seu radicales supra fuerunt expositi: adde tamen prædictis quod præcipit q Auicennas: *quemadmodum*, inquit, *inter iudicantes septimus dies decimo quarto quoque fortior est, & decimusquartus vigesimo, non secus inter indicantes, quartus dies vndecimo quoque (puta in indicando] fortior est, & vndecimus decimoseptimo* : & hanc sententiam confirmat r Galenus. Vnde aliquid etiam rari in quarto, sicuti de septimo dictum est, contineri, coniiciendi occasionem habemus: hic enim, non minus quam illle, præeminentiam inter sodales sortitus est: & certè non in paucioribus rebus quaternus quam septimus numerus, naturale quoddam regimen exercere cernitur. Quatuor namque sunt Elementa: ignis, aër, aqua, & terra. Quatuor primæ qualita-

p *Nicol Florent. cap. 4. tractat. 4. sermon. 2.*

q *sen. 2. lib. 4. cap. de dieb. bonis & malis.*

r *cap. 18. l. 1. de crisib.*

tes, caliditas, humiditas, frigiditas, & ſiccitas. Quatuor Lunæ formæ: Luna æqua proportione diuiſa, Luna orbe pleno, Luna ſeneſcens, & Luna exhauſta omni luce ſilens. Quatuor mundi cardines: Orientalis, Meridionalis, Occidentalis, & Septentrionalis. Quatuor venti præcipui: Eurus, Auſter, Zephyrus, & Boreas. Quatuor hominis ætates: puerilitas, ſeu infantia, pubertas, virilitas, ſeu adoleſcentia, & ſenectus. Quatuor naturales humani corporis humores: bilis, ſanguis, pituita, & melancholia. Quatuor eiuſdem temperaturæ ſimplices: calida, humida, frigida & ſicca. Quatuor compoſitæ: calida ſicca, calida humida, frigida humida, & frigida ſicca. Quatuor denique anni tempeſtates: Ver, æſtas, autumnus, hyems.

Indicatiui per accommodationem, ſunt proprij decretorij ſeu principes ſupra enumerati, qui quidem, quando indices qui indicare debebant ad iudicandum properant, verorum indicantium vices nonnunquam ſubeunt: ſicuti cum ſeptimus fit vndecimi index, & criſis in ipſum vndecimum cadit: vel cum decimusquartus decimiſeptimi, & in ipſo etiam decimoſeptimo iudicium ſe prodit: & ſic de reliquis vſque ad quadrageſimū.

Indicatiui intercidentes, ita dicti ſunt ſ *quod non indicent per virtutem cœleſtis alicuius influxus, ſed ſolum ex materiæ morbificæ motu ac fu-* *ſ Nicol. Florent. cap. 4. tract. 4. ſermon. 2.*

riositate. Eâ ratione tertius est aliquando quarti, nonnunquã & quinti index: sic etiam quintus sæpe septimum, & plerumque nonum indicat. Atque ita de cæteris indicatiuis intercidentibus.

DE RELIQVIS CRITICORVM DIERVM DIFFERENTIIS: NEMPE de intercidentibus & vacuis.

CAPVT QVINTVM.

SEptenarij dies à primo ad quadragesimum sunt, vt supra monui, numero sex; videlicet septimus, decimusquartus, vigesimus, vigesimusseptimus, trigesimusquartus, & quadragesimus: quaternarii totidem; quartus nimirum, vndecimus, decimusseptimus, vigesimusquartus, trigesimusprimus, & trigesimus septimus: ita vt in summâ duodecim existant. Quod si de quadraginta diebus duodecim auferas supererunt viginti-octo, de quorum viribus hoc capite dicturus sum. Vt autem res sine ἀταξία conspiciatur, atque absque confusione concipiatur, eodem tenore in his, quo in duodecim iam explicatis, procedendum: quemadmodum enim illi in duas portiones æquales, hoc est, sex se-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

ptenarios, & totidem quaternarios, distributi sunt; sic & isti vigintiocto, in quatuordecim intercidẽtes totidemque vacuos diuidentur. Illi in impari numero, hi in pari omnes consistunt, vt ex eorundem enumeratione *t* supra factâ liquidò constat. Iam verò quodnam in criticâ administratione munus ineant, aperire mens est, ac de intercalaribus seu intercidentibus quidem prius, quod eminentiori decernendi, atque etiam indicandi facultate potiantur quam vacui, vt in sequentibus lineis apparebit.

t *Cap. 2. huius libri secundi.*

Primus morbi dies est intercidentium primus, (etsi impropriè ita vocitetur & tantum per licentiam crisiologicam quod nõ habeat diem se priorem, nomenque illud, dies intercludentes, priorẽ nempe & posteriorem supponat) qui non modo ad crisεως euentum indicandum, vt docet *u* Galenus verum etiam ad ipsissima iudicia (licet raro, & pessima quidem, vt notat *x* Auicennas. Etenim vt *y bonæ indicationes in morborum statibus continuo contingunt*, malæ pari ratione erunt quæ ante statum, ac præsertim quæ in principio fient, vt pote ante concoctionem humoris noxii, quæ in principio nunquam elucet, vnde argutè & Acutè Υ Arabs: *crisis* inquit *quæ fit ante statũ & cõcoctionẽ mala omnino est: in principio nunquã accidit iudicium nisi perniciosum*) sibi deuinciẽda ha-

u *Lib. 3. de cris. cap. 4.*
x *Fen. 2. lib. 4.*
y *Amat. c. 1. libel. de dieb. decret.*
Υ *Auicen. loc. recẽt. citat.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

z Cap. 3. lib. 2. de crisib.
a Initio particul. 4. sec. 3. lib. 1. epidem.
b Gal. cap. 8. lib. 3. de dieb. decret.

bilis, quidquid *z* Laurentius & alij negent, habendus est: vt etiam ex ipsis *a* Hippocratis verbis patet, ἐστὶ δὲ πρώτη κρίσιμος &c. est autem primus decretorius &c. nec me mouet quod *b* Galenus asserit, inquiens, ἐν μὲν δὴ τῇ πρώτῃ, τοὺς ἐφημέρους λύεσθαι συμβαίνει πυρετοὺς οὐ μὴν ἤδη μετ' ἀγῶνος τε καὶ ταραχῆς ἀξιολόγου, καί τοι νομίζουσιν ἔνιοι, Ἱπποκράτην τὰς κρινούσας ἡμέρας ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἐπιδημιῶν καταλέγοντα καὶ τῆς πρώτης μεμνημονευκέναι. id est, iam quidem in primo die febres diarias solui contingit, idque fere nullâ cum vehementiâ & perturbatione effatu dignâ: quanquam nonnulli Hippocratem quoque dies decretorios in primo Epidemiωn enumerantem & primi meminisse putant. Non inquam me mouet hocce Galeni monitum; siquidem ipse crisim spuriam seu impropriam, crisim non nuncupat, ideoque primo die crises non fieri tradit: quasi vero imperfectissima entia non essent entia. Quod itaque iudicet, certum est, & testatur ipsemet *c* Galenus passim, qui eum perniciosè id exequi non semel scriptis prodidit. Atqui perniciosum seu pessimũ hominem (arguebat nuper Philosophus quidam, & quidem verissimè) hominem esse quid vetat? quid etiam, quominus perniciosus & pessimus iudicans, iudicans æstimetur, prohibebit? Iudicat ergo primus dies aliquo-

c In libris de cris. & dieb. decretor.

modo: ſed ſecuriùs indicat; eſt enim plerumque d *quarti decretorii index in morbis perperacutis.*

d Georg. Bertin. cap. 7. lib. de ſign. progn.

Secundo loco intercidit tertius dies, qui ob præcipitem humoris motum impari die proritantem, & naturæ robur, cenſetur decretorius: hîc non Galenum repugnantem habemus; namque e *tertium à principio morbi diem acutè decernere; & ex coincidentibus eſſe,* lubens fatetur: idque ratione experimento innixâ comprobari poteſt: quippe cum quarto die iudicatio futura eſt, & materia velociter mouetur, criſis prærumpit, eamque tertius ſibi vendicat.

e Gal. cap. 8. lib. 3. de dieb. decretor.

Tertio coincidit quintus morbi dies, qui etiam iudicare nouit, vt refert f Amatus: non tamen propterea quod anticipet, ſicuti tertius, ſed ob tardum naturæ motum: quia cum natura quarto die iudicationem molitur, & non ſatis irritata, aut citius fatigata, eandem in eo complere nequit, ipſam poſtea in quinto perficit, atque ita quintus efficitur iudicatorius.

f Cap. 4. libel. de dieb. decretor.

Quartus intercalaris non alius eſt quam nonus â morbi exordio dies, & in ſeptimum & vndecimum ad decernendum aptos locatus, decretorius euaſit, iuxta tritum illud, qui inter canes habitat latrare diſcit: & tum vndecimi, tum etiam, licet raro, ſeptimi criſes vſurpat, quod g Galenus exprimit: *iam ve-*

g Cap. 8.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

ro, ait, *& nonus inter duos decretorios septimum & vndecimum medius, vel non factum in septimo iudicium vel vndecimo futurum ipse sibi vendicat, rariùs quidem septimi, sæpe vndecimi crisim assumit. Etenim peculiare septimi iudicium non ad nonum, modo pauci errores commißi sint, vnquam peruenerit.* Vbi autem nonus iudicat, non adeo periculosè ac socii sui prædicti, quintus nimirum & tertius, sed fideliter & sæpissime illud munus obit, ac proinde istis excellere perhibetur.

lib.3. de dieb. decretor.

Quintus inter coincidentes numerandus est, decimustertius dies, cui non minus quam aliis huius ordinis, in iudicando se exercere licet, & mediocri obeundi muneris illius virtute præditus est; quia dierum qui à primo ad vigesimum sunt, alii subitò seu cum vehementiâ morbos iudicant; alii verò nõ ita subitò: illos primæ notæ statuit *h* Galenus, hos secundæ: ex eâ tamen regulâ excipitur decimustertius, qui ad neutram notam pertinet, sed inter vtramque medium locum obtinet: est enim *i omnium decretoriorum imbecillimus, & non decretoriorum*, hoc est, intercidentium & vacuorum, *fortißimus, tanquam in medio quodam virtutis vtrorumque situs.* Ea autem loci medietas & iudicandi mediocritas illi ideo conceditur, quod non adeo validè ac dies primæ notæ, validiùs vero iis qui in secũdâ sunt, morbos dissoluat: *k Est igitur decimustertius*

h *Cap. 5. lib.1. de dieb. decretor.*

i *Gal. cap. 8. lib. 2. de dieb. decretor.*

k *Amat.*

ies quodammodo decretorius, præsertim in morbis qui impares accessiones habent. *cap. 12. libel. citat. de dieb. decretor.*

Sextum intercidentem constituit decimusquintus dies, quem nec decernendi nec intercidendi vim habere, contendit *l* Georgius Bertinus: nos verò in vtroq; robore eundem confirmamus. Intercidit quidem quia non est ex septenariis, neque ex indicibus, vt prędicta planè declararunt: ex vacuis etiam non est, hi enim numerum parem non transgrediuntur. Eritne ideo nullius momenti? minimè: quandoquidem ne vnus quidē à primo ad quadragesimum labitur dies, qui momentum aliquod agendi aut non agendi, sperandi aut desperandi, Medico non præbeat, vt probè monuit *m* Hippocrates. Quid igitur? iam dicam. Non ille ex principibus iudicatoriis, non ille ex veris indicibus, nō ille ex vacuis, sed ex intercidētibus vnus erit. Quod ad illius iudicādi potentiam attinet, sciendū est non eandem esse rationem tertii dierū ordinis, ac duorum priorum ordinū; quippe quod isti in processu vsq; ad vigesimum sensim contabescant: illi contra, vires eundo & dignitatem acquirant: est enim tertius primo fortior, tertio verò quintus, hoc deinde nonus, post quem venit decimustertius omnium intercidentium fortissimus, vt pote in quo intercidendi facultatis status seu vigor consistit, quoniam ab hinc marcescere & flaccescere incipit

l Cap. 7. lib. de sign. prognost.

m Lib. de septimest. part.

vis eorum iudicatoria, vnde fit, vt noſtri decimi quinti parũ meminerit Galenus in opere ſuo criſiologico: habet tamen nonnihil naturæ decimi tertii, ideoque n *in eo* ob naturæ tarditatem decernitur aliquando morbus, qui decimotertio terminari debebat.

n *Amat. cap.* 14. *lib. citat.*

Septimus intercidens decimusnonus dies ſtatuitur, eſtque leuioris vtilitatis quam decimusquintus, ita vt in eo deficere aut ſaltem debilis admodum fieri conſpiciatur coincidentium iudicandi virtus, *o* inde Galenus in eâdem ipſum, in quâ & duodecimum & decimum ſextum, (in quibus ſe nullum vnquam iudicatum vidiſſe, *p* antea diſſerebat) categoriâ reponit. Ergo decimusnonus à decretoriis ablegandus videtur. Cum autem à decimotertio, ad ſequentes eiuſdem generis, vis declinet, iamque decimonono fere deperdita appareat iudicandi energia, reliquos ſeptem qui inter vigeſimum & quadrageſimum ſiti ſunt, exiguè admodum & rariſſimè iudicare, neceſſario concluditur: intercidentes tamen ſunt; quia propter errores à Medico, vel ægrotante, aut aliunde commiſſos, acceſſiones perturbari, atque ita ſingulis diebus iudicia fieri, facile poſſunt. Hæc eſt intercidentium, ſeu intercalarium, ſiue coincidentium, aut prouocatoriorum natura.

o *Cap.* 5. *lib.* 1. *de dieb. decretor.*
p *Gal. cap.* 2. *eiuſdem lib.*

Vacuorum dierum hiſtoriam quantum in me erit, breuiter enarrabo. Sunt autem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

isti numero quatuordecim, sicuti & intercidentes, videlicet secundus, sextus, octauus, &c. vt in superioribus ostendebam; ex iis vero septem priores, quemadmodum in coincidentium descriptione actum est, explicandos seligo: in reliquis enim nulla iudicandi, nulla indicandi, (aut saltem minima effatuque indigna) atque exigua intercidendi aut prouocandi potestas animaduertitur; sed eâ pæne prorsus vacui, in solâ vacuorum functione potissimum se continent. Verumtamen cum non ampliùs de iis dicturus sim, quinam sint hîc recensere, non à re alienum habebitur. Primus itaque est vigesimussecundus, deinde sequuntur vigesimus sextus, vigesimusoctauus, trigesimus, trigesimussecundus, trigesimussextus, & trigesimusoctauus. Inter vacuos omnes ordine primas tenet secundus morbi dies, vt iam satis *q* comprobatum esse existimo: sed dignitate non item, quia nihil indicat, neque quidquam decernit: quanquam non desunt qui hoc theorema nituntur euertere, febrem ephemeram seu diariam (quæ quidem secundo die soluitur) in medium adducentes: quibus sic respondeo. *r Cum febres diariæ ita soluuntur, id absque indicatione contingit.* Probatur. Morbi qui non sunt acuti per iudicium minimè, vt ex supra scriptis patet, sed per λύσιν tantummodo termi-

q cap. 2. huius lib. 2.

r Foes. commentar. in partic. 4. sec. 3. lib. 1. epid.

nantur, *s at febres diariæ quas Græci ephemeras vocant, licet cito finiantur, non tamen acuti morbi nominari debent*: vnde *t* Galenus, *multæ febres diariæ ex frigore quodam, vel adustione partium extertorum, vel labore breui, vel vigilia, vel tristitia, vel ebrietate, vel ira, vel id genus similibus proueniunt, paruæ simul & breues & periculis prorsus vacuæ, atque nemo has, vel idiota, vel Medicus, acutos morbos vocare consueuit.* Distinguendum enim, addit *u* Galenus, inter acutum & βραχυχρόνιον (id est breuis temporis) morbum. Ergo quum febris secũdo diẽ euanescit, id per λύσιν non per κρίσιν efficitur. Deinde, *x iudicia non nisi in humorales morbos cadunt*: febrem autem de quâ hîc agitur nequaquã humoralẽ esse ex propria ipsius definitione constat, *y est enim spiritus supercalfactus, calore extraneo in illo accenso*: vel, vt clariùs, *z calor præter naturam in spiritibus accensus &c.* Non igitur subita seu repentina, sed lenta potius mitique mutatione solui ipsam, certissimum est, ac proinde intacta & integra manebit assertio mea, quâ secundum morbi diem, vacuorum primum faciebam, cumq; morbos non propriè iudicare, statuebam.

Secundus vacuus est sextus dies, Tyrannus scilicet ille, qui cum mortalium morbos iudicat, illlorum vitas depopulatur & absumit. Eum decretorium esse ex *a* Hippocrate & *b* Galeno constat, atque etiam experimẽto no-

s Gal. commẽt. in aph. 19. sec. 2.
t cap. vlt. l. 3. de dieb. decret.
u ibid.
x Laurent. cap. 3. lib. 1. & cap. 13. l. 3. de crisib.
y Trincauel epist. medic. 9.
z Fuchs. c. 10. sec. 1. lib. 3. institut. medic.
a sec. 3. lib. 1. epid.
b cap. 6. lib. 2. & cap. 8. lib. 3 de dieb. decret.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

uit ipse Galenus *c sextum frequenter quidem,* c *cap. 5. lib. 1. de dieb. decret.*
d non septimo similiter, nam & pauciores ipsum licare, & solutionis modo plurimum differre. Est ergo decretorius, sed sæpius ad malum, eoque spes est admodum angusta: vnum tamen habemus apud Hippocratem ægrotum eo fælicissimè iudicatum, & hoc de virgine quâdam Larissæâ *d* scriptum est. d *sec. 3. lib. 3. epid.*

Tertius vacuus, nempe octauus morbi dies inter decernentes etiam imperfectos annumeratur; ob diuturniorem tamen moram *e sexto perfectiorem eum perhibent.* Quarto loco hic occurrit decimus, quem in eodem cum octauo, prædicamento, post *f* Galenum colloco. Quinto & sexto succedunt duodecimus & decimus sextus, in quibus nullum iudicatum à Galeno conspectum vnquam fuisse, bis dictum est, proindeq; in suâ solius vacuitatis miseriâ contenti adhuc manent. Septimus, & eorũ qui nũc attingendi mihi sunt vltimus, est decimus octauus, qui etiam vacuus solũ est suâ naturâ, quidquid contradixerint non pauci ex antiquis *g* authoribus, qui eãdem illi vim, quam nos decimoseptimo, tribuêre. Sed hos cum acutis ac veracibus responsis, missos facit *h* Galenus, ad cuius textum legendum lectorem relego: interim vero singulorum criticorum dierum functiones magis ordinarias ex prædictis collectas percurro, vt inde dierum criticorum causas accedam.

e *Bertin. c. 7. lib. de sig. prognost.*
f *cap. 5. lib. 1. de dieb. decret.*
g *Archigenes & alii sui temporis nonnulli.*
h *cap. 4. lib. 2. de dieb. decretor.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

TABVLA SINGVLORVM DIERVM A PRIMO AD QVADRAGEsimum potiores vires declarans.

Primus		*intercidens*
Secundus		*vacuus*
Tertius		*intercidens*
Quartus		*index*
Quintus		*intercidens*
Sextus		*vacuus*
Septimus		*iudicans*
Octauus		*vacuus*
Nonus		*intercidens*
Decimus		*vacuus*
Vndecimus	*est*	*index*
Duodecimus		*vacuus*
Decimustertius		*intercidens*
Decimusquartus		*iudicans*
Decimusquintus		*intercidens*
Decimussextus		*vacuus*
Decimusseptimus		*index*
Decimusoctauus		*vacuus*
Decimusnonus		*intercidens*
Vigesimus		*iudicans*
Vigesimusprimus		*intercidens*
Vigesimussecūdus		*vacuus*
Vigesimustertius		*intercidens*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Vigeſimusquartus		*index*
Vigeſimusquintus		*intercidens*
Vigeſimusſextus		*vacuus*
Vigeſimusſeptimus		*iudicans*
Vigeſimusoctauus		*vacuus*
Vigeſimusnonus		*intercidens*
Trigeſimus		*vacuus*
Trigeſimusprimus		*index*
Trigeſimusſecũdus	*eſt*	*vacuus*
Trigeſimustertius		*intercidens*
Trigeſimusquartus		*iudicans*
Trigeſimusquintus		*intercidens*
Trigeſimusſextus		*vacuus*
Trigeſimusſeptimus		*index*
Trigeſimusoctauus		*vacuus*
Trigeſimusnonus		*intercidens*
Quadrageſimus.		*iudicans.*

DE CRITICORVM DIERVM cauſis.

CAPVT SEXTVM.

DIuinus atque æternus rerum omnium Architectus, eo certo & conſtanti ordine quo omnia condidit, ipſiſſimo & naturæ huius miniſtræ inſtrumento prouidenter ea moderatur & conſeruat. Vniuerſam enim naturam peculiari dote exornatam creauit, &

i *Virgil. lib. 1. Æneid.*

vt egregie *i* Pœta:

Rectam illi legem imposuit quâ fœdere certo
Et premere & laxas posset dare rebus habenas.

Huic, inquam, ratas impertiuit vires, quibus stabili serie se ipsam tuetur, & indicto temporum decursu functiones omnes administrat & perficit. Nemini equidem dubium est naturam certis horis alimenta concoquere, excrementa foras expellere, & humores vitiosos ordinato tẽporis interuallo edomare & protrudere. Ex hoc instituto diuinitùs insculpto ortus sui primordia ducunt dies critici, atque à tribus, nempe à natura, motu humoris, & viuifico syderum lumine dependent. Porro cum humoris motus causa dierum constituitur, non tantum de melancholico succo, quemadmodum suadet *k* Fracatorius, sed de omni humorum genere, in quibus morbi acuti consistere fomitemque habere possunt, intelligendum venit. Iam vero quia materia illa seu materialis causa vt semisopita, diem quendam definitum per se prodere, inepta censetur, si nimirum ab aliis non excitetur; proinde ipsi coadunata atque vnita iure merito fuit causa efficiens, eaque duplex, nempe propria & adiuuans: hæc est corporum cœlestium ac potissimum Solis & Lunæ influxus motusque indefessi, à quorum gemina germanaque virtute, sublunaria quæuis ex nutu diuino alterantur: *l* παύτα

k *cap. 9. lib. de dieb. decretor.*

l *Hipp. lib.*

γὰρ δι' ἀνάγκην θείην γίνεται. Fiūt enim iſthæc ex neceſſitate diuinâ: vnde tritum illud, *Aſtra regunt homines, ſed regit Aſtra Deus.* Cauſam iſtam, vniuerſalem ſeu remotam eſſe, ſcribit *m* Laurentius: at quocumque modo vocitetur, eam in hocce effectu producendo ſubſidium manifeſtè præbere, certiſſimum eſt: Sol enim Planeta Planetarum princeps, qui diuino quodam, vel ſaltem diuinitùs inſpirato calore inſignitus, omnia ad maturitatem perducit, atque ea quæ ſunt difficilis permutationis, metamorphoſi quâdam mirè conuertit, qui in ipſius hominis, mixti omnium perfectiſſimi, generatione, non parum de ſuo penu tribuit, iuxta illud, *Sol & homo generant hominem*; is, inquam, benignâ ſuâ, vt ſic dixerim, ἰδιοσυνκρασίᾳ ductus, cauſam quæ propria dicta eſt, in actione occupatam, tanquam manu iuuare delectatur. Ad Solis efficientiam proximè accedit Luna, quæ, vt *n* Philoſopho placuit, paruus Sol exiſtit. Eius autem vires ad ea quæ infra gignuntur, conſeruantur, alterantur, aut alio naturali modo afficiuntur, maximè pertinere fatendum eſt: namq; eſt vltima Cœlo, citima terræ: & illud experimento quoque demonſtratur. Oſtreis & conchyliis omnibus contingit *o vt cùm Lunâ creſcant, pariterque decreſcant.* Idem fere maria ipſa experiuntur, quæ in plenilunio tumida, in nouilunio vero planiora fieri ſole-

l. de ſalub. vict. ration.

m cap. 13. l. 3. de criſib.

n Ariſt. cap. vlt. lib. 4. de gener. animal.

o Ariſt. cap. 5. lib. 4. de part. animal.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

p Cic. lib. de diuinat.

re, ſat notauêre nautæ. p *Arbores cum Lunâ ſeneſcentes tempeſtiuê cæduntur: quæ ſi eâdem creſcente cadantur, putreſcunt.* Si vindemia, cum Luna adhuc noua apparet, fiat & colligatur, vina redduntur frigidiora. q *Ad hæc menſtruorum ſtatutum tempus mulieribus Luna conſeruat, item comitialium morborum circuitus cuſtodit, inde, quod ſolis plus vel minus participet. Omnia ſiquidem quæ facere nata eſt, vbi falcis figuram repræſentat, languida fiunt: inualeſcunt omnia, cum plena fuerit: quapropter & fruges interea adauget maturatque celerrimè: ferarum occiſa corpora in tabem viſu ſuo reſoluit: ſomnoque ſopitis ſub eius lumine vel aliter diutius immoratis pallorem & capitis grauitatem conciliat.* Eâ ipsâ augendi minuendi & gubernandi virtute in criticâ hemeriâ, ſeu noſtrorũ criticorum dierũ œconomiâ, ſeſe ſola illa ſolius Solis ſoror gerit; humores enim & naturam, hodie magis, cras minus, turbat, mouet, acuit, irritat, lædit, grauatur, adiuuat: vnde tanta orta eſt dierum criticorum turba. Naturam dixi, & hæc propria & peculiaris eſt eorum cauſa: r πρῶτον μὲν πάντων δεῖ φύσιος. φύσιος γὰρ ἀντιπρηττούσης, κενέα πάντα. In primis quidem naturâ opus eſt, quâ repugnante, irrita ſunt omnia Hęc, in quã, quæ ſui cõditoris imperio obtemperat, humores excrementitios caloris inſiti & influentis ſubſidio coquit, coctos propulſat; eodemque artificio & definitis vicibus compeſcit & mouet. Conſtans &

q Gal. cap. 2. lib. 3. de dieb. decret.

r Hipp. in lege ſuâ.

definitus ordo in rebus naturalibus, & iis quæ præter naturam obtingunt, ab omnibus qui ratione conuenienter vtuntur mortalibus, cernitur, & quotidianâ experientiâ notatur. De naturalibus quibusdã sic loquitur s Hippocrates ὅσα τῶν ἐμβρύων &c. fœtus qui in vtero ad nonum mensem peruenerint, in eoque editi fuerint, supersunt. Idem de septimestribus asserit, t τὸ παιδίον ἑπτάμηνον γόνον γενόμενον, λόγῳ γίγνεται, καὶ ζῆ. puer qui septimo mense prodit, cum ratione prodit, & vitalis est. Idẽ etiam de decimestribus affirmat u exercitatissimus senex: aliis vero mẽsib. (excepto nono) nati, vitâ statim maxima ex parte defũgũtur, vt satis cõmõstrat experientia. De præternaturalibus; vide, quæso, febrium intermittentium circuitiones, & continuarum accessiones, quæ nisi ab erratis Medici, ægri, aut alienis quibuslibet, interturbentur, quasi determinata temporis interualla seruare consueuerunt. Quod si horum rationes quispiam efflagitet: dicat & ipse, & me doceat, cur x ὁκόσοισι σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος, τρίσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται. Qui cerebri sphacelismo seu syderatione conflictantur, intra tres dies intereunt: quod si hos effugerint, sani euadunt. Deinde cur y ὁκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται.

s Lib. de septimestri part.

t Hipp. lib. de carnib.

u Hipp. lib. de octimestri part.

x Hippocr. aph. 50. sec. 7.

y Hippocr. aph. 6. sec. 8.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται. qui tetano, hoc est neruorum distétione corripiuntur, intra quatuor dies pereunt: quos si effugerint, sanescunt. Dicat etiam cur z τὰ ἐπιλέπτικα ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται μετάστασιν ἴσχει. ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἔτεων γίνεται, τούτοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει. quibuscumque morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt: quibuscumque autem annum vigesimũquintum agentibus fiunt, eos fere ad mortem vsque comitantur. Respondebit ille aliquomodo cum Galeno Foësio, Fuchsio, Hollerio, Heurnio, & Aliis Aphorismorum Hippocratis interpretibus, inter quos nullus certè rem adeo explanauit, vt inde ratas fixas & perpetuæ veritatis rationes elicere queamus. Ego verò ad quęsitũ suum breuiter respõdeo, permulta esse naturæ decreta, quorũ effectus & euentus ad notitiã quidem nostram perueniunt, sed τὸ πῶς quomodo fiant, non item: atque adeo naturã dierũ decretoriorum causam peculiarem esse, non ignoramus, sed quo genio id cõtingat rectè nosse, hoc opus hic labor est, nec nisi generaliter (vt à me supra) ostendi potest: Adde cum A Lucretio.

z Hippocr. aph. 7. eiusdem sec.

A Lib. 3. de rer. nat.

Multa tegit sacro inuolucro natura, nec vnquam
Vllis scire fas est mortalibus omnia, multa
Admirare modo, necnon venerare, neque illa
Inquires quæ sunt arcanis proxima.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

De his etiam pari ratione dicam; *quærere plura nefas.*

DE DIE A QVO MORBI PRINCIpium numeratur, & de eo cui crisis attribuitur.

CAPVT SEPTIMVM.

ORta est inter Medicos criticæ doctrinæ amantes, de primo morbi die, necnon de eo cui crisis contingens accepta referri debet, non exigua contentio: eaque inter iuniores potissimum, a *qui cauillationibus circumuenti, à naturali ratiocinatione plerumque non inuiti recedunt.* Ac de primo quidem morbi die acriter disceptant authores, & principij vocem variis circumuolutionibus masticant, quas omnes detegam, vt inde exquisita hauriatur rei propositæ cognitio. Principii itaq; dictio quatenus τῇ ἰητρικῇ inseruit, sumitur nōnunquam pro causâ, sicuti apud b Hippocraté ἀρχαὶ εἰσὶ τρεῖς, ἀφ' ὧν αἱ νοῦσοι γίνονται. tria sunt principia, ex quibus morbi oriūtur. Deinceps c τί ποτε τὸ αἴτιον ἐστὶ τῶν νούσων, ἢ τίς ἀρχὴ καὶ πηγὴ γίνεται τῶν ἐν τῷ σώματι κακῶν in quibus sanè hoc præcipuū est [loquitur de iis quæ medicinā facientibus ineunda sunt] quænam sit morborum causa, seu ex quo principio ac veluti fonte corporis vitia seu morbi procedant. Atque

a *Gal. cap. 5. lib. 1. de dieb. decret.*

b *Lib. 4. de morb.*

c *Hipp. libel. de flatib.*

hoc in loco Hippocrates loquutus est more Physicorum, qui naturam principium & causam motus & quietis definiunt: ipse tamen alio omnino sensu vocabulum istud vsurpauit, scilicet pro prioribus morbi diebus, puta qui vsque ad tertium, vel quartum, vel vlterius extenduntur: vt hîc, *d* περὶ δὲ τὰς ἀρχὰς ait, καὶ τὰ τέλη, πάντα ἀσθενέστατα περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότατα. circa (morborum) initia & fines omnia sunt debilissima, at circa consistentias vehementissima. Rursus ἐν τοῖσιν ὀξέσι παθέεσιν &c. in morbis acutis raro & per initia purgandum: & in hâc significatione sumitur apud *e* Galenum. Tertio loco pro primis morbi temporibus, f *sunt enim morbi tempora quatuor numero; principium, incrementum, status & declinatio. Morbi autem principium*, inquit, *g* Galenus, *intelligi volumus per primum eius insultum, & hoc quidem nullam latitudinem habere dicitur, & id quod est sicuti pars totius morbi, quando diuiditur in principium, augmentum, tempus consistendi, & declinationem.* Aliæ sunt apud Hippocratem & Galenum huius vocabuli acceptiones, quas omnes hîc referre, prolixioris est animi, proptereaque eas tantum quæ rectam ad numerandos morbi dies normam ostendunt, perlustrare lubet.

Non desunt qui criticos euentus attentè obseruando, primum morbi diem eum statuunt, quo æger malè habere, puta vigiliâ, cibi

d *Hipp. aph. 30. sec. 2. & aph. 24. sec. 1.*

e *Cap. 7. lib 1. de cris.*

f *Gal. cap. 2. lib. 1. de cris.*

g *Commẽt. in prognos. 12. lib 1. prognost. & in aph. 12. sec. 1.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

faſtidio, dolore capitis, laſſitudine, & id genus aliis [ſiue ſteterit ſiue decubuerit] tentari cœpit. Alij verò ab eo quo decubuit, numerandum putant. His autem, quemadmodum & illis, acutiſſimè reſpondet *h* Galenus, & ab eo die quo febris quemuis adoritur, etiãſi in rectum manſerit, computandum eſſe præclarè demonſtrat. i *Indicationes ergo euenientes à primo die quo febricauit homo, non ab illo quo capite doluit, vel huiuſmodi aliud quippiam paſſus eſt, accuratè inſpicies: Etenim in huiuſmodi prnicipiis decretoriorum dierum experientia Medici eſt.* Hęc cẽſetur generalis recẽſendorum dierũ regula, quæ tamen non adeo pertinax & abſoluta eſt, vt exceptionẽ pati recuſet: veluti in morbis illis cõtingit, quos ex partu mulieres contrahere adſolent: ſiquidem non à die quo febre correptę fuerint, ſed ab eo quo pepererint exactè numerabis, ſi Hippocratem & Galenũ medendi artis lumina ſequi digneris. κατὰ δὲ αὐτὸν λόγον, notat k Hippocrates, τῇσι γυναιξὶν αἱ κρίσιες ἐκ τῶν τόκων γίνονται. pari modo in mulieribus iudicia fiunt à partu: quæ quidem ſententia ſatis clara, clariſſimo ſermone deciditur & illuſtratur à *l* Galeno: καθ' ἣν ἂν ἡμέραν, inquit, ἀποκυήσι, ἡ ἀρχὴ τῆς ἐξαριθμήσεως γινέσθω σοι, μὴ καθ' ἣν ἤρξατο πυρέττειν, ἐνίαις γοῦν ἤτοι περὶ δευτέραν, ἢ τρίτην ἡμέραν ἄρχονται μετὰ τῆς τόκον, ἀφ' ἧς ἀριθμοῦσιν οἱ πολλοὶ τὴν ἐσομέσιν. ἔχει δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλ'

h Cap. 6. lib. 1. de dieb. decretor.

i Gal. ibid.

k prognoſ. 12. lib. 3. progno ſt.

l Commẽt. in prognoſ. proximè citat.

ἀφ' ἧς ἀποκυήσει, τὴν συναριθμήσιν δεῖ γενέσθαι τῶν ἡμέρων. id eſt, principiũ numerationis erit nõ quo die febricitare cœperint, ſed quo pepererint. In quibuſdã igitur circa ſecundũ aut tertium diem à partu incipiunt: vnde multi numerant futuram iudicationem. Sed res non ita ſe habet: at ex quo pepererint, dierum numerationem fieri oportet. Huic Hippocratico & Galeniano ſuſcribit m Foëſius, repugnat barbarus n Auicennas; ille primum à partu diem, hic verò eum quo febris inuaſit, decretoriorum initium facit. Hæc eadem exceptio etiam in vulneribus capitis locum habet. Quandoquidem donec febris accidat numerare, minimè differendum eſt, ſed ſtatim ab indicto vulnere incipiẽdum. Quod autẽ febris non sẽper ſtatim à vulnere prehendat, experimẽto nouit o Hippocrates: ἐστὶ μὲν γὰρ, ὅτε δ' πυρελήνειν πρωθείς. fit enim interdum vt febris ſauciatum non (ſtatim) inuadat. Quin etiam ſæpe die quarto à vulnere accepto, nonnunquam ſeptimo, plerũque vndecimo exoritur, & aliis diebus iſtis interiectis: ſed periculoſiſſimæ ſunt quæ in tribus recens numeratis ſuperueniunt, p ἄρξασθαι δὲ πυρετὸς ἐπὶ κεφαλῆς πρώσει τεταρταίῳ ἢ ἑβδομαίῳ, ἢ ἑνδεκαταίῳ, θανατώδες μαλά. At febris in capitis vulnere die quarto, aut ſeptimo, aut vndecimo incipiens, valde exitialis eſt.

m Commẽt. in hiſtor. ag. 4. ſec. 3. lib. 1. epid.

n Fen. 2. lib. 4. tractat. 1. cap. 1.

o Partic. 12. lib. 2. prorrhetic.

p Hippocr. partic. 14. lib. 2. prorrhetic.

Altera dubitatio erat, de die in quo criſis

uenit: quippe quærunt non pauci, cum iudicium sæpissime in duobus diebus contingat, hoc est hodie inchoetur, cras absoluatur, cuinam istorum adiudicandum illud sit: quibus sic respondeo. Considerandum est an indicata fuerit crisis à vero quodam indice, & num alter dierum in quibus crisis fit, verè decretorius sit. Exempli gratiâ, si quarto appareant crisis indicia, & septimo sudores incœperint, & in totum octauum exciderint, ista tamen septimo erit adscribenda. q *Quod si nullo indice prius habito crisis subitò contingat*, duos attingens dies, ad notas has respiciens, vtriusnam sit, facile distinguere poteris. Primò ad accessionum analogiam: secundò ad dierum naturam: tertiò ad decernendi temporum numerum: quartò & postremò ad ipsum iudicii tempus. Ad accessionum analogiam; vt, si æger imparibus diebus magis laborarit, proprium magis erit diei imparis iudicium: quemadmodum si paribus, etiam paris: r *nam in accessionibus plurimum indicia contingunt.* Ceterum ad dierum naturam hoc pacto. Ambigis vtrum noni diei vel decimi sit iudicium? si salubre ac bonum, perfectum, & sine periculo, noni magis est: si imperfectum, malum, & periculosum, decimi. Postea ad decernendi tempora te conuertes, quæ quidem tria numero sunt, videlicet decretoriæ accessionis initium, decretoriæ motionis principium, seu crisis exordium, & iudicii finis.

q *Gal. cap. 8. lib 1. de dieb. decretor.*

r *Gal. comment. 2. in lib. 1. epid. & cap. 8. lib. 1. de dieb. decretor.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Dies itaque qui duo istorum temporũ in seſe accipit magis iudicationem ſibi vendicat. Sic & ipſum iudicij tempus, vtrâ die fuerit longius, illi magis iudicium attribuendum. Ergo vbi quatuor hæ notæ vno die introducuntur, huic tu quoque iudicium adſcribes, ſi verò vna ex his relinquitur; ſic quoque adhuc concedes, ſed iam & alterum criſis ipſius participem putabis. Quod ſi æquales notæ fuerint, iudicium quoq; vtriuſque diei commune cenſebitur.

Atque hæc ſunt humaniſſimè lector, quæ in hâc Criſiologiâ dicere, non dicam docere, animus erat. Quam ſi grato animo oculiſque arridentibus exceperis, alium Tractatum Medicum, merè prognoſticum, breui tibi pro debitâ mercede largiri meditor.

Finis libri ſecundi Criſiologiæ Medicæ, ſiue doctrinæ de morborum Iudicationibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

CAROLI ROMATETI
BAYONENSIS DOCTORIS MEDICI
TRACTATVS DE PESTE

IN QVO PESTIS *ESSENTIA, DIFFERENTIÆ, Causæ, signa tam Diagnostica quam Prognostica, dilucidè aperiuntur, eiusque susceptæ perfectè curandæ, imminentis verò securè præcauendæ, ratio præscribitur.*

CVM PECVLIARI METHODO AB IIS obseruandâ, qui ægros *Peste* correptos, Saluâ cute propriâ, & cum nullo contagij periculo, cupiunt attrectare.

Insuper

FVSA, ET A NVLLO AVTHORE ANTEHAC descripta, permultarum Politicarum cautionum, in locis Peste *afflictis, ad sistendum contagium, adhibendarum, enarratio porrigitur.*


Atque

SVPELLECTILIVM, ÆDIVMQVE IPSARVM infectarum, ab igne seruandarum, & à conceptâ infectione liberandarum, norma, accuratè demonstratur.

PARISIIS,
Apud NICOLAVM GASSE, Typographum.

1635. Cum Priuilegio Regis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

CAROLI ROMATETI BAYONENSIS DOCTORIS Medici.

TRACTATVS DE Peste.

DE PESTIS ESSENTIA.

CAPVT PRIMVM.



VLLVM adhuc ſeſe hominum oculis conſpiciendum obtulit portentum, beneuole lector, nullum Meteoricum prodigium, nullaque ſub cœleſti facie prodidit vnquam horrenda bellua, quæ ab innumeris rerum prope mirabilium ſcriptoribus, vario ſub habitu, contrariiſque atque inter ſe inuicem pugnantibus deſcriptionibus, non fuerit expoſita. Atque illud ipſum in terrifica *peſtis*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

exaggeratione contigit, vt postea dicam, *pestis*, inquam, quæ non Hydrâ solum centicipite formidabilior, non flammiuomo quo iber dracone crudelior, non Minotauro, Cerbero, aliisque eiusmodi Antropophagis animalibus implacabilior; sed vt rigidum diuinæ iustitiæ flagellum, nullo personarum discrimine ruinosum, cæteris omnibus quæ in humanum genus sæuire possunt, naturæ hostibus, longè periculosior atque inexpugnabilior existit.

Monstrum sanè horrendum, ingens, immane, cui rationis lumen omne naturaliter ademptum, adeo vt vbi in plebé tanti furoris insciam grassatur, vrbes in deserta mutet, absumptis edaci simul & occulto quo flagrat igne, ciuibus earum omnibus. Vnde mirum non est, quod illi tot facies toto inter se marte discrepantes tribuant Authores nostri, quorum industria in exprimendâ prodigiosi istius entis formâ, causisque eius indagãdis attentè satis inuigilauit. Nec mirum etiam, quod numerosa sit admodum eorum turba, qui rem tam arduam exequi conati sunt: neque hâc eâdem ratione laborem huncce meum quispiam vanum inutilemque fore censeat, quod non nisi millies, & rectè quidem, decantata monimenta videatur producturus. Etenim quisque suo vehitur sensu, nec rarum est recentiores rei alicuius scrutatores, etsi in-

doctiores, veteres tamen in designandâ verâ eius essentiâ superasse, eorumque calignem, aut clariore mentis radio, aut exactiore animi attentione ac diligentiâ, aut acutiore dicendi stylo detegisse. Crescunt hominum virtus, & scientiarum splendor, crescente sæculorum annorumque numero, nec *quotidie deterior est posterior dies*, nisi crica morum prauitatem vitæque humanæ sceleratos vsus. Acuuntur temporum successu magis ac magis ingenia, nec vnquam eô quo nunc micant deuenêre luminis in prisco maiorum nostrorum æuo.

Hominis virtus & ingenium quotidie angescunt.

Liceat hæc de iis qui de *peste* cognoscencendâ, precauendâ, & curandâ, sua quælibet prodidêre volumina, libero sermone proferre. Illi suâ tum assiduo labore comparatâ, tum etiam ab aliorũ scriptis desumptâ scientiâ duntaxat vsi sunt, à nobis nihil subsidii mutuati, cum nos & iisdem quibus ipsi fruamur auxiliis, & prætereà genio fulciamur proprio, nostroque singula quæ concipimus & exprimimus moderante ducamur iudicio, de quo nihil vnquam in aures eorum ascendit, cum illi ante pubertatem nostram fere omnes vitam cum morte commutârint. Et quemadmodum mentis agitatione scientiæ fuerunt adinuentæ, vt loquitur Fernelius præfatione in Physiologiam, ita & eâdem, inter homines per indesinentem eorum productionem,

continuâ, perfectiùs in dies addiscuntur, diligentiùs excoluntur, & fideliùs demonstrantur. Itaque quò plures habet vnaquæque doctrina suorum theorematum scriptores, eò certè rectior, eòque dilucidior euadit. Vnde non ego futiles eorũ animas esse duxerim, qui nouas cuiusque materiæ informationes nosse percupiunt: sæpius enim vtile latet intus cum dulci voluptatis sensu. Noua inquiunt, omnia delectant; ast satiùs eadem plerumq; prodesse dixerimus, quod aut priùs cognita confirment, aut malè concepta corrigant, aut nondum audita doceant. Atque hoc potissimum euenit in operosâ *pestis* cognitione perquirendâ: siquidem vbicumque recentem de eâ productum viderimus tractatum, ibi procul dubio quodcumque notauerimus, vel eorum quæ scimus idæas altiùs in memoriâ collocat, vel animum ad veram rei notitiam dirigit, vel nouum quidpiam scituque non dignum minùs quam difficile demonstrat, idque potissimum, si forte perspicui simul & audacis authoris fuerit opus, vt pote qui *peste* ipsâ correptos intrepidè viserit, aliaque singula ad exactã tanti negotii perquisitionem spectantia, exquisitè obseruare dignatus sit. Non enim illi *pestem* rectiùs depingunt, qui vel annis, vel doctrinâ, vel moribus grauiores existunt, sed ij potiùs qui leui quanquam talis doctrinæ, totiusque artis medicæ, tincturâ deli-

Noua omnia sæpius vtilia.

Ad pestem rectè depingendã quinam valeant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

buti, ægros quamplurimos ipſiſſimâ *peſte* laborantes, ſæpius ad aures allocuti ſunt, eorumque pulſum, & tumores peſtilentiales, manu propriâ, attentiſque mentis oculis attrectarunt, necnon remedia ſingulis iſtius veneni ſymptomatis conuenientia porrigentes, quali vnumquodque Alexipharmacum ei oppoſitum vi & facultate polleat, & quis vniuſcuiuſque ſit genüinus effectus, cernere potuerunt.

Sed tempus eſt, vt promiſſis ſtando, *peſtis* eſſentiam à multis diuerſimodé traditam explicem. Alii namque *peſtem* nihil aliud eſſe autumant, quam bubones in emunctoriis ad extimã cutem erumpentes, inter quos vnus eſt Ioannes Apoſtolo in libello cui titulus eſt, remedia contra peſtem: cum potiùs tumores illi, ſint *peſtis* effectus & ſigna, quorum ope certiùs illa dignoſcitur, non autem ipſam *peſtis* eſſentiam conſtituant. Alij febrem quãdam malignam cõtagio deditam, quam peſtilentialem ideo vocitant, & impropriè quidem, vt infra fuſiùs dicetur, ſiue hæc ephemeræ ſiue putridæ characterem præ ſe ferat, veram eſſe *peſtem*, audacter aſſerunt. Alij denique mirum, incognitum, & inexplicabile malum, ab Aſtris modo quodam naturali ſupra vulgarẽ mẽtis humanæ captũ poſito, productũ, *peſtem* eſſe, ſimpliciore trepidoque animo coniiciunt, inſuperque pro certo venditant.

Peſtis abuſiuè deſignatur à quibuſdam per bubonem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Quas omnes ſententias, tanquam repulſâ riſuque dignas ablego, necnon abſurdas eſſe demonſtro, vt inde ad genuinam *peſtis* definitionem greſſum faciam.

Ad primam itaque hoc tantum dico, quod longęuâ Medicorum experiétiâ ſatis exploratum atque comprobatum eſt, permultos ſcilicet ægros ſingulis diebus *peſte* ſtrangulari, quibus natura nullam eminentiam in emunctoriis inſufflauerat: Vnde *peſtem* bubonis nomine minimè deſignandam eſſe, liquido conſtat.

Ad ſecundam, inſignem eſſe differentiam inter *peſtem* propriè dictam ac febrem omnem peſtilentialem, cum illa plerumque per aliquod temporis ſpatium ſine febre captos diro ſub adulamine detineat ægrotantes, quod quidem tum in aliis deprehendi aliquoties, tū etiam in me ipſo ſemel expertus ſum anno 1630. Præterea *peſtis* ſolos interdum ſpiritus inquinat, idque diu ſatis, nullâ tamen interim exhibente ſeſe manifeſtâ febre, donec fomes illius altiùs ſerpendo vltra modum efferueſcat. An authoritates poſtulas, quibus conſtet dari peſtilentiales febres ſine vllâ *peſte*? habes Galenum idipſum aſſerentem lib. 8. de compoſ. Medicam. ſecund. loc. c. 7. & l. 3. de præſag. ex pulſib. c. 5. & cõment. 3. in l. 3. epid cuius verba breuitatis gratiâ nõ refero. *Obſeruatio.*

Ad tertiā vero, ineptos eos & idiotas eſſe qui

dum Cœlum & Astra tanti facinoris authores nuncupant, in re interim tantillum dignoscendâ sponte cæcutiant, cum tamen nihil ab Astris naturali producatur ordine, quod non sit hominibus expansum. Est quidem malum satis occultum cognituque difficillimum, verum illud nosse non est prorsus impossibile, iisque præsertim qui in medendi arte probè versati, naturam illius enituntur attento sensu speculari.

Ad *pestis* tamen definitionem quod attinet, obmissis eius quamplurimis descriptionibus ab aliis authoribus variè traditis [quod eas recensere nimis tibi prolixum meritò videretur] meam lubenter affero, vt quæ mihi magis arridet, & partes sui definiti singulas, meo quidem iudicio, complectitur. Assero igitur *pestem* esse *intensam infectionem aeream, vitæ nostræ per se aduersissimam, eiusque vt plurimum deleteriam, intus in corpore latentem, contagio viciniâque facile communicabilem, quæ mores edit malignos, ac multos vbi grassari semel incipit, de medio tollit.* *Pestis vera definitio.*

Hîc an *pestis* [quæ Græcis λοιμὸς] morbus sit, & qualis, non disputo: neque etiam an inter acutos morbos recenseri mereatur, quod contra doctissimum Ludouicum Duretum agitari posset, idipsũ constanter negantem comment. in coac. 5. l. 3. Sed eam morbum esse in certâ intemperie positum, positiuè tantum *Pestis quodnam sit genus morbi.*

affirmo, quod quidem nec humoralis est propriè, nec primarum duntaxat qualitatum prædominium spectat, sed insuper substantiæ alicuius corruptelam comitem habet. Porro *pestem* esse *infectionem* aliquam, quis neget? Siquidem nonne spiritus primo, deinde humores, ac ipsas denique partes solidas inficit & labefactat? *Aërea* vero dicitur; quod in substantiâ aërea, velut accidens in subiecto, resideat; sicuti quædam salsedo, marina nuncupatur, quod illa qualitas aquæ marinæ naturaliter inhæreat, tanquam subiecto satis apto. Aërea, id est, vaporosa.

Quod autem vaporosa illa infectio sit semper *intensa*, iis maximè constat qui vel eâ fuêre vexati, vel eâdem adactos homines in suo cruciatu iacentes viserunt: tot enim tamque horrenda infert symptomata, vt horum acerbitate ac vehementiâ peronerati ægri, citiùs interdum intereant, quam se per integrũ diem ægrotasse deprehenderint. Est & illa *vitæ nostræ aduersissima, eiusque deleteria*, venenorum instar, quæ calori nostro penitùs aduersantur, ipsumque destruere nata sunt: vnde *peste* detenti, tot vomitus efferos, tam frequentes lipothymias, continuas corporis iactationes, sitim inexhaustam, aliaque id genus symptomata patiuntur, quæ assumpta venena sequi consueuerunt. Additur *per se*, quoniam si modo suo relinquatur arbitrio, nec Antidotis seu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

remedijs Alexipharmacis oppugnetur, veri deleteri vires exerit, & funestos exequitur effectus, vt ex vltimâ huius definitionis differentiâ colligi potest.

Nec tamen quamlibet infectionem aëream quæ intensa est, & deleteriâ facultate pollet, *pestem* vocamus, sed eam tantummodo quæ latet in corporibus nostris; aliâs enim aër in locis palustribus stagnans, aut ex iis exhalans in quibus permulta iacent cadauera non sepulta, *pestis* nomine dignus esset, cum potiùs inter causas eius efficientes sit recensendus, vt vberiùs in sequenti capite demonstrabitur.

Præterea non ea solum *contagio communicatur*, (vnde contagiosus morbus κατ' ἐξοχὴν seu per excellẽtiam apud vulgum nuncupatur) verum etiam viciniâ, inspirato scilicet aëre ex ægris *peste* correptis exeunte, aut ex veste similem aërem in se continente, aut aliis eius generis modis viciniam spectantibus,

Superest adhuc, *quæ mores edit malignos, multosque, vbi grassari semel incipit, de medio tollit.* Vnde Galenus lib. de Theriac. ad Pison. *Pestem* depingit sub specie Belluæ cuiusdam immanissimæ quæ in omne animantium genus ruit indifferenter, vrbesque & oppida vastando, regna destruit integra. Etenim nihil his absimile molitur *pestis*, nihil minus efficit: & hoc ipsum est, quod nuper tantopere dolebat vniuersa nostra Gallia, cuius nullum

Pestis belluæ ferocissimæ à Galeno comparatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

fere ſubſiſtebat membrum, quod cruentos effrenatæ *peſtis* ictus non perſenſiſſet. Atque hæc de *peſtis* eſſentiâ dicta ſufficiant.

DE CAVSIS AC DIFFERENTIIS Peſtis.

Cap. II.

CVm vera rei cuiuſque ſcientia non aliâ ratione perfectiùs, quam per cauſarum eius dignotionē, poſſit comparari, adductâ & expoſitâ iam *peſtis* definitione, ordo poſtulat, vt ad cauſas illius tranſeamus, iis enim probè perpenſis, ſtupendū quem exequuntur effectum, faciliùs animo concipiemus. Sunt autem illæ in multiplici genere poſitæ: aliæ namque ſupernaturaliter operantur, aliæ vero merè ſunt phyſicæ, quæ nec miraculum portendunt, nec myſteriū vllum continent. Illæ principium habent ſupra Lunam, Solem, omneſque cœlos extenſum, quod Imperij ſui formidabiles actus vibrat ab alto in gentes ſcelerum labe conſpurcatas, iram nempe Dei, quæ poſt longam reſipiſcentiæ noſtræ expectationē, fruſtra nulloque fructu peractā, iure merito in gelidam duritiem noſtram accenditur, noſque trifulcato belli, famis, ac *peſtis* fulmine feriens, mulctat indefeſſam cui

Cauſa ſupernaturalis peſtis.

sæpius indulgemus, peccandi consuetudinem: atque illud penetrabili *pestis* ardore, cœlitus immisso, potissimum efficit.

Ast causæ quæ rerum naturalium concursu suum tam naturæ nostræ infensum nanciscuntur effectum, tum ab Astrorum, atque Elementorum statu, constitutione, & accidentibus dependent, tum etiam ab eorum vsu quæ extra nos posita, nonnaturalia impropriè vocantur: qualia sunt, præter aërem & aquam [vt quæ inter Elementa numerantur) cibus, potus, & retenta. Astra quidem; cum eorum aspectus cursusque varij, singula sublunaria, atque hominé peculiariter, regere credantur, vnde minimè diffidendum est, quin ad generandam, genitamque propagandam, luem pestiferam, quidquam de suo penu plerumque tribuât. Verum quo illud modo, quâue ratione contingat, non omnino inter se conueniunt Medici. Hic certam Syderum coniunctionem, ex se, tali producendo malo peraptã esse putat. Censet alter Planetas id tantum inire, mediante virtute quam in Elementis imprimunt, horum scilicet genüinam temperiem immutando, vel extraneas, & nullâtenus eorum naturæ consentaneas, iis qualitates inferendo.

Eiusdẽ causa naturales.

Paracelsus tract. 1. de Pestilitate cap. 4. ait Solem esse moderatoré Veris & Æstatis, Lunã verò Hyemis & Autumni. Et paulo post, ab an-

Solis & Lunæ imperiũ supra Elementa.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

ni tempestatibus ad Elementa sermonem con-
uertens, Solem asserit gubernare ignem &
aërem; Lunam vero, aquam & terram. Quo-
si tum Elementa cum anni tempestates, Solis &
Lunæ cursibus & votis adeo strictè subiician-
tur, verisimile est, Elementorum qualitates es-
Syderibus obsequio quodã deuinctas, eorum-
que iussa capessere, dum natura ad illud ip-
sum, Syderum Elementorumque status & con-
stitutiones disponit. Quapropter huic eg-
sententiæ lubentiùs quam priori subscribo
certâ ratione, & graui authoritatè ductus. Ra-
tio est ex euentu quotidiano desumpta, ni-
mirum Elementa suas alterationes non aliund-
mutuari, quam ab Astrorum, ac præ-
sertim Solis & Lunæ, viribus efficientibus.

Solis & Lunæ actiones variæ.

Etenim eorum actione, tum frigore cap-
tus gelascit aër, tum ardore percussus in-
candescit. Eorum actione, tum arescunt flu-
mina, tum in molem insolentem intumes-
cunt maria. Eorum actione, tum steriles lan-
guescunt sicco marcore terræ, tum fœcund-
benigni humoris assumpto pabulo, & vi calo-
ris aduentitii cocto, in placidum erumpun-
risum, & aut vernis coronatæ floribus hilares-
cunt, aut fructibus æstiuis vel etiam autumna-
libus exornatæ. Eorum actione, imbrium
niuium, grandinis, aliorumque eiusmodi Me-
teororum, ex terrâ marique educitur, atque in
nubibus collecta seruatur & coaceruatur ma-

[ae]ria, rursusque in inferiores mundi partes alterata demittitur. Eorum denique actione, scintillant in aëre fulgura, mouentur tonitrua, decidunt fulmina, atque (vt ad nostrum circa causas *pestis* propositum redeamus) aër in vallibus aut paludibus arctiùs diutiùsque conclusus, humiditatem & putredinem contrahit, incolarum spiritus inficere natam, eosque in arctiores *pestis* angustias redigere.

Authoritates sunt Hippocratis & Fernelii: hic lib. 2. de abdit. rer. caus. cap. 12. non aliã puræ simplicisque pestilẽtiæ causam agnoscit, quam certam configurationem cœlestem, & Syderum permistionem: ille verò, lib. 3. Aphorismorum docet, Elementorum status varios, à variis anni constitutionibus pendentes, anni tempestates variando, varia quoque morborum inferre genera, suam quæque anni tempestatem maximè sequuta. Vnde colligere est, & ipsam *pestem*, aliam magis amare Syderum atque Elementorum dispositionem, aliam verò minùs, etiamsi inter affectus præternaturales, ab eodem authore loco citato nominatos, nulla *pestis* fiat mentio: siquidem illius non meminit ibi Hippocrates, quoniam ipsa in omni tempore quibusdam in locis produci potest, si non secundum essentiam, saltem per contagium: ideoque ad libros de morbis Epidemiis siue vulgaribus, eius tractationem delegauit, in quibus de pestilentiali aëris statu

Quadã Astrorum configuratio pestilentiæ causa.

Varii morbi à vario Elementorũ statu oriuntur.

Pestis certam peculiariter amat Syderum dispositionem.

sermonem interdum habet.

Astra ad pestis generationem concurrunt.

Concurrunt igitur Astra ad generationem *pestis*, vt causa saltem remota, & quatenus certam Elementis virtutem ad efficiendum aptam conferunt. Elementa vero quæcumque hâc in parte quidquam exequuntur, idipsum ineunt vt causæ propinquæ, & propriæ energiæ vtuntur ministerio, vbi prius ab Astris ad agendum fuêre disposita. Exempli gratia, Aër tetris anathimiasibus, ex fœtidis locis aut corporibus vi solarium radiorum sursum eleuatis, magnopere alteratus, & in corruptionem actus, facili negotio *pestis* producendæ materiam præbet, vt pote qui a nobis per inspirationem haustus, partibus, in quibus vitæ sedes & fundamentum est, putredinis suæ characterem imprimit, easque sui veneni participes efficit. Idem de aquâ censendum, quæ in diuturniore quiete stetit immota, atque ita corruptionem contraxit, putridosque inde halitus expirat, à solis radijs itidem excitata.

Aer quomodo concurrat ad generationem pestis.

Quomodo aqua.

Quod ad cibum, potum, & retenta spectat, dubium non est, quin interdum in *pestis* productione, causarum vices gerant. Cibi quidem, si vel putredine, vel qualitate ad putredinem facile suscipiendam dispositâ, contaminati assumantur, ad *pestem* promulgandam fiunt aptissimi. Eiusmodi autem sunt, carnes aut fœtidæ, aut saltem iamdiu mactatæ, pisces humidiores, & à longo tempore emortui, vel ij

Cibi quinam producant pestem, & quâ ratione.

ii in aquis degunt paluſtribus & corruptis, vt caro animalium quadrupedum quæ vel longo languore, vel morbo aliquo interiore capta ſenſim obiêre, vel aquam bufonibus, batrachiis, lacertis, viperis, aliiſque eius generis animalculis venenatis ſcatentem, pro potu biberunt ordinario, ſicuti menſibus Iulio & Auguſto, ſolent vt plurimum boues & oues: ac denique fructus horarii nimiâ humiditate aut maturitate molles, aut etiam quouis modo putrefacti, & permultæ fungorum ſpecies qui prauâ quâdam qualitate prædíti partium nobiliorum facultatibus imponunt.

Potus, idem pæne quod cibus, in iſto negotio exequitur: ſi namque liquore conſtet corruptione quâdã infecto, non leuiores, quã edulia prædicta, *peſtis* producẽdæ vires cõtrahit: imo & citiùs faciliùſque, quam vllum cibi genus, noxiam illam ſuæ prauitatis operationem exerit; quandoquidem corpus primum ingreſſus, fluidæ quâ conſtat conſiſtentiæ beneficio, tum in venas, tum in ipſa nobiliora viſcera breui penetrat, iiſque tetrum malignæ ſuæ qualitatis ictũ & characterem incutit.

Potus quo modo cõcurrat ad generationem peſtis.

Nota tamen quod dum carnes à longo tempore mactatas, & piſces iamdiu emortuos, producendę corruptionis peſtilentialis anſam præbere dixi, de iis illud intellexi, tum piſcium, tũ aliorũ quorumuis animaliũ carnibus, quæ nec ſale, nec aceto, nec aliâ mixturâ, condita,

diu ſolent aſſeruari.

Retenta quoque, huiuſmodi cauſarum ſeriem iure merito ingrediuntur, ea ſcilicet quæ ſecundum ſalubrem naturæ ordinem erãt excernenda, puta fæces, fuligines, menſtrua, & alia eiuſmodi. Primo enim ſi aluus ſuperfluâ excremẽtorum copiâ, multò quam par eſt diutiùs grauetur, inter alias quas ſanitati noxas inducit, cerebrum craſſis excremẽtorum ſuorum vaporibus implet, & in illo, ſpiritus animales putrido fœtore vehementer afficit, qui deinde ad infernas partes refluens, vitales inficit, atque tandem introductâ *peſte* ſæpiùs interficit. Idem de fuliginum retentione ſentiendum, quæ quidem ſi continuo motu, per tranſpirationem, vt naturaliter adſolent, exhalare deſinant, ſpirituum & humorum putredinem accerſendo, peſtilentiali veneno viam parant, & commodam ſeſe apud nos inſinuãdi occaſionem exhibent. Sanguis vero menſtruus, cum omnium, qui in venis aſſeruantur, ſuccorum illuuiem contineat, vt eſt in confeſſo apud omnes Medicos, dubium non eſt, quin ſi debitis temporibus nullâtenus expurgetur, ſed interim cum diuturniore morâ, in vaſis ei regendo deſtinatis, retentus hæreat, putredinem ſenſim facilique negotio cõtrahat, atque maſſam ipſam ſanguineam poſſit tandem in corruptionem agere. Quod cum ita ſit, ac *peſtis* ex inteſâ humorum putrefactione ſpiritibus

Fæces diutius retentæ quomodo ſiant cauſæ peſtis.

Quomodo fuliginũ retentio.

Quomodo mẽſtruæ vacuationis ſuppreſſio.

bus communicatâ, persæpe nascatur, quid implicat eam ex præternaturali menstruorum retentione tanquam à causâ propinquâ oriri? Nihil sanè. Vnde forte obiiciet aliquis, causas retentionis fæcum, fuliginum, & mensium, inter causas *pestis* remotas esse numerandas, tanquam propinquarum genitrices, & tamen non alias me tradidisse quam Astrorum influxus aspectusque varios, atque adeo mancam & inperfectam esse, supra allatam causarum *pestis* remotarum enarrationem. Respondeo, ea omnia, à quibus impeditur edictarum naturæ superfluitatum excretio, causas potiùs esse *pestis* adiuuantes quam veré directèque effectrices, Astra verò verarum efficientium obire munus. Dices etiam aduersus id quod iamiam asserui, nimirum *pestem* ex intensâ humorum putrefactione interdum enasci, repugnare illud ipsum meæ doctrinæ, præcedenti capite allatæ, in quo docebam pestilentiale venenũ, non humores primo, sed spiritus, deinde verò humores, ac denique partes ipsas solidas inficere solere. Respondeo, longam, esse differentiam inter tetram intensæ putrefactionis auram, quam possunt spiritibus communicare humores corrupti, & ipsissimum *pestis* virus quod in spiritibus primo concipi, atque inde in humores solidasque partes, transire dixi: Hoc enim priùs in humoribus imprimi nequit, quam suum in spiritibus characterem accepe-

Pestis virus differt ab aurâ putredinis cuiuslibet humorũ.

xit, qnoniam ſcilicet ætherea ſpirituum ſubſtātia multò magis quam liquida humorum conſiſtentia, ad aeream illam ſiue halituoſam peſtilentem luem ſuſcipiendā, eſt diſpoſita. Illa vero etiamſi nondum actuali peſtilentiæ ſigillo ſit inſignita, ſuâ tamen malignâ & naturæ aduerſâ, quâ imprægnata eſt, qualitate, ſpirituum temperiem ita labefactat, vt in illorum œconomiam altè inſinuata, in ipſum peſtilentiale venenum, facili negotio tranſmutetur.

Quod ſpectat ad reliquas res nonnaturales, nempe ad ſomnum & vigiliam, motum & quietem, & animi pathemata, cum non niſi paululum generationi *peſtis* de ſuâ virtute tribuant, imo è longinquo tantum in illius productione operentur, ipſas non alio hic ſermone attingemus. Atque hæc de eſſentiali ac primigeniâ generatione *peſtis*, quæ tamen non neceſſario fit vbicumque cauſæ prædictæ reperiuntur, ſuoſque conatus exerunt: requiritur enim inſuper ad effectum earum ſubeundum, vt materia ſit apta, nec vlla lateat in corpore repugnantia, quæ fortior illis exiſtat, vireſque gerat longè validiores. Se de eiuſmodi repugnātiis infra dicetur, cum de iis ſermo fiet, qui ad *peſtem*, ſiue ex eſſentiâ, ſiue ex contagio concipiendam, magis minùſue ſunt diſpoſiti.

Ad peſtis generationem requiritur ſubiecti diſpoſitio.

Aliud ſe monſtrat, in *peſtis* aitiologiâ, cauſarum genus, ab eo diſcrepans quod iam

allatum, & essentiale nucupatum fuit: illas videlicet complectitur, quæ malum per solam contagionem procreant, vnde *pestis*, alia per essentiam, alia per contagium contrahitur: illa primaria, hæc secundaria dicitur. Atqui conseruantur istæ, vbicumque accensa prius est corruptio pestilentialis, & inde in singulis quibusque, ad eas excipiendas sese offerentibus, dispositis corporibus, vel mediatè, vel immediatè operantur. Quamobrem Epidemicus morbus à nonnullis vocitatur, cum tamen interdum vnicam tantum familiam aggrediatur, (vt ego multis vidi in locis, peculiariter verò in oppido quodam ab vrbe Aquensi non valde remoto, idque anno 1630) tunc scilicet cum primus illius impetus opportunè cernitur, & accuratâ repellitur methodo. Causæ autem illæ sunt, locorum peste infectorum habitatio, cum ægrotantibus eo morbo captis conuiuia, colloquia, accubitus, & quælibet eorumdem vicinia: vt & vestium, aut cuiusuis supellectilis ad eos pertinentis, eorumue labe contaminatæ attrectatio, & alia eiusmodi.

Pestis alia primaria seu per essentiã, alia secundaria seu per contagium.

Pestis est morbus Epidemicus.

Obseruatio.

Contagii differentia.

Quod ad febrem pestilentem seu pestilentialem attinet, sciendum est eam vel esse verè talem, vel non verè. Vtraque à Græcis λοιμώδης, pestilens siue pestilentialis nuncupatur: sed illa, *peste* laborantes omnes, si non in morbi principio, saltem in eiusdem progressu solet infestare: hæc vero *pestem* è longinquo

Febris pestilentialis duplex.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

præcedit, nec nisi post longam & operosa
gitationem, tam truculentum monstrum pro
ducit, causasque habet in excellenti humoru
putredine, cum quâdam malignitate coniunc
tâ, positas. Atqui hæc ea febris est, quam non
nulli pestiferam vocant, cuius ordinis recen
sentur, febres quædã ἐξανθηματώδεες purpu
ratæ dictæ, quod puncticulis pupureis, pe
cutem extrinsecùs efflorescentibus, stipat
prodeant.

Pestis differt a febre pestilentiali.

Nec mirum dari *pestem* per aliquod tem
pus in nobis sine febre latitantem, cum sæpissi
me febris pestilentialis & *pestis* ipsa, causis, se
de, suæque generationis modo, quâdam ratio
ne differant. Causis quidem, quoniam hæc e
malignitate, illa vero ex putredine procedit v
plurimum, etiamsi interdum malignitatem ali
quam contineat cum intensâ putredine iuncta
Sedes quoque earum est diuersa; quippe quo
pestis in spiritibus, febris vero pestilentialis i
humoribus, focum præcipuum nanciscatu
quod spectat ad modum productionis, variu
omnino deprehendetur, si attentâ exactâqu
satis indagine perlustretur: Etenim *pestis* ex æt
hereâ quâdam infectione spirando, per eo
nares, & hiantes cutis vniuersæ poros, haust
contrahitur, siue illa ex primariâ causâ desuma
tur, siue ex secundariâ, id est, ex cõtagio. Ast fe
bris pestilentialis plerumque nullo extrisecù
attracto putredinis aut malignitatis fomite, se

ed eodem intus in nobis metipſis ex præpoſitâ
ubiecti diſpoſitione, & prauo alimentorum
ſu ad id concurrente, concepto gignitur. Sed
oc de febre peſtilentiali non verâ maximè in-
elligendum venit; alia enim, quæ ſcilicet *pe-
tem* ad pedem ſequitur, non modo maligni-
atem ſupponit, ſed & ſpiritus inficit, & ex
eneno extraneo depromitur. Nec dubites, po-
ſe adeo intenſam in corpore humano viuen-
e generari putredinem, vt ipſa in venenum
beat, aut ſaltem in corruptionem veneno æ-
qualem, atque inſtar veneni, vitalis caloris, &
ſpirituum in quibus vis vitæ deliteſcit, omni-
no deleteriam: ſed vide huius rei aſſertores ad-
mirabilem Galenum cap. 5. lib. 6. de loc. af-
fect. & doctiſſimum Fernelium cap. 15. lib. 2.
de abdit. rer. cauſis, atque perceptâ ex autho-
rum iſtorum effatis rei euidentis medullâ, ha-
beas, quæſo, præ mentis oculis horrenda mu-
lierum hyſtericarum ſymptomata, ex venena-
to, ſeminis intus in corpore corrupti, foco,
prorumpentia.

Venenum, in corporibus noſtris per ſe generari poteſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS Pestis.

Capvt tertivm.

Etsi ea sit *pestis* naturâ, vt plures, quam quilibet alius morbus, prehendat homines, propter scilicet venenositatem suam perfacile communicabilem, ita vt plures etiam illâ, quam aliâ quâuis ægritudine moriantur: attamen nullum morbi genus, vt nec adeo tractatu periculosum, ita neque tam cognitu difficile comperias: siue hoc inde eueniat, quod Medici fere omnes, malum illud malignum accedere veriti, quæ ad cognitionem illius acquirendam pertinent, attingere non audeant, siue ex eo quod affectus ex se occultus existat, & fallaces habeat productiouis suæ modos: ideoque præ cæteris hominibus perdoctam audacis simul & perspicacis viri speculationem exposcit, & signorum quibus sese prodit indagationem exactissimam. Signa autem *pestis* de quibus hoc capite differere animus est, vel *pestem* adesse, vel eandem adfuisse, aut suspicioné, aut cõiecturam saltem, si non certam cognitioné, exhibent. Priora ad eos pertinent homines, qui cadauera mortuorũ in pestilentiæ temporibus & locis visitantes, an hi *peste*, an vero alio morbo perierint, discernere contendunt: atque

Pestis dignoscendæ difficultas vnde.

de illis in vltimis huius capitis lineis agetur. Posteriora, ea nimirum quæ præsentis *pestis* dignotionem spectant, duplicis iterum sunt generis alia enim *pestis* ipsius sunt signa, alia duntaxat causarum illam producentium. Hæc præterea diuersa sunt, pro multiplici causarum edictarum varietate, quemadmodum iamiam sum demonstraturus: illa vero vel vniuoca sunt, vel æquiuoca. Vniuoca semper *pestem* necessario consequuntur; ast æquiuoca, cum aliorum morborum signis communia, interdũ *pestem*, nonnumquam alias affectiones, pro liminio stare commonstrant. Propria & vniuoca sunt, si absque prægressâ vllâ non pestiferâ causâ (nempe lassitudine, febre ephemerâ, venere impurâ, scabie, dolore,] si bubo in emunctorio quouis enascatur; si vel carbunculi vel anthraces, quamlibet corporis partem obsidẽtes, cum vomitu, cardialgiâ, dolore capitis, aut aliis eiusmodi *pestis* symptomatis, ægrum infestent: quæ quidem symptomata vbi bubones & carbones istos sequuntur, eosdem à simplicibus, seu non venenatis, eius generis tumoribus, distinguere faciunt, & verè pestilentiales eos esse demonstrant. Verum æquiuoca, quæ aliâs præsumptiua & coniecturalia nũcupãtur, (obmissâ febre) sunt, pulsus paruus, celer, & frequens; dolor capitis molestus, sitis inexhausta, ciborum omnium fastidium, totius corporis lassitudo, eiusdemque summa

Signa pestis diagnostica vniuoca.

Signa æquiuoca.

iactatio; vigiliæ, (interdum vero ſopor laborioſiſſimus] delirum, linguę ſcabrities, & nigredo, nauſea, vomitus, nonnunquam etiam alui fluxus; faciei pallor, crurnm genuumve debilitas, viſus vagus, cordis anxietas, ſuſpiria, ſingultus, & id genus alia, quæ quidem ita comparata ſunt, vt partim *peſtem* tantillũ præcedant, ſeu paulo ante illam prodeant, partim eandem comitentur, & partim eam ſubſequantur, ſed diuerſimodè, pro variâ ægrotantium diſpoſitione & naturâ, atque etiam ob varium veneni ipſius gradum. Sed æquiuoca hæcce ſigna clariùs explico. Sæpius *peſtis* initio prodeunt, nauſea, cibi faſtidium, dolor capitis, quædam corporis laſſitudo: in progreſſu morbi, pręter iſtorum exacerbationem & ingraueſcentiam, bubo interdum aliquis, aut plures in emunctoriis apparent, & carbones itidem in quâlibet corporis parte prorumpunt, febris accenditur cum interno ardore, pulſus frequentiam & celeritatem acquirit, cruciantque tunc immaniter vigiliæ, aut ſomnolentia laborioſa, vomitus, alui profluium, cardialgia, ſitis, delirium, cordis anxietas, & inquieta corporis iactatio, vel eorum omnium aliqua, quæ quo plura numero ſunt, eò peioris ſunt ominis. Vbi vero ad extremum fere adauctum malum, necem eminentem minitatur, pulſus exiguitas eiuſdem celeritatis ac frequentiæ fit ſocia, bubones indurantur magis, ac retro

cedere videntur, & carbones disrupti, maiorem quam antea contumaciam & cacoëthiam exhibent; lingua scabritie ac nigredine deturpatur, suspiria crebra quasi ex ingruente lipothymiâ exhalant: quandoque etiam ægri, dum vltimas agunt, singultu tentantur, si non continuo, breuia saltem quietis interualla relinquente, fiuntque veluti λυγγώδεες κατοχοί. incessanter singultuosi.

Quod attinet ad signa quæ an mortui hi vel illi, *peste* inquinati & ab eâdem ingulati fuerint, certò indicant, dicam breuiter quæ ego certiora deprehenderim. Primum si emortua corpora tranferendo, aut aliter mouendo, membra illorum quasi solutis articulis denodata reperiantur, & carnes atque ligamenta mollitiem & laxitatem magnam exhibeant: Deinde si in loco *peste* infecto decubuerint, aut ante morbi inuasionem degerint, vel si cum ægris *peste* correptis colloquia aut quoduis eius generis commercium habuerint. Tertio, si cutis maculis coloreviolaceis aut liuidis defœdata conspiciatur. Quarto, si intra paucos dies morbo illo fuerint extincta. Quinto & postremo, si vel carbo aliquis in quâlibet corporis parte, aut bubo circa quoddam emunctorium detegatur; tunc enim *pestem* in illis cadaueribus delituisse, suspicandum, imo & pro certo habendum. Contra vero, si eorum membra rigida, nullâque fere arte flexibilia videas,

Signa quibus dignoscitur an mortui peste fuerint affecti.

crede illico, non *pestem*, sed alium quempiam morbum ipsis vitam abstulisse: vt & si longè ab inquinatis hominibus & locis vixerint, & nullis maculis, nullo bubone, nulloque carbone, cutem signatam habeant.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS PESTIS.

CAPVT QVARTVM.

PEstis Prognosticum, quod huc vsque quamplurimis in arte medendi probè ver... satis imposuit, velut negotium, ex omni parte perarduum, non modo in incerto positum est, vt sunt omniũ acutorum morborum prænunciationes ex Hippocrate aph. 19. sec. 2. verum etiam horrendum ac propemodum inexplicabile, vnde vix alia quam clamosa omnia de eo prædicare possum. Verum qualiscumque sit illius doctrina, ex quatruplici potissimum fonte depromenda venit, nimirum ex actionum læsione, excretorum vitio, tumoribus pestem comitari, atque mouente ipsâ extra cutem erumpere solitis, & accidentibus alijs: quæ omnia sigillatim scrutabor, ab actionum læsionibus exordio sumpto.

Prognosticũ pestis.

Actiones, vel vitales sunt, vel animales, vel naturales, quæ à tribus eorumdem nominum

facultatibus, tanquam à principiis suis immediatè pendentes, istarum, vt salubrem, ita & insalubrem statum sequũtur. Atque adeo quemadmodum facultatum vnaquæque triplici ratione delinquit, ita & earum actiones, tribus, non pluribus, offensionum generibus afficiuntur, videlicet diminutione, deprauatione, & abolitione. Imprimis itaque actiones vitales, pulsus nempe & respiratio, in *peste* malè affectæ, vel omnino cessant, vel adhuc subsistentes, aduerso duntaxat naturæ ordine procedunt, quantitatem & qualitatem spectante, quod vel parcè vel prauè fiant. Ex suppressis omnino respiratione & pulsificatione, aut earum alterutrâ, non est quod prognosim quæramus aliquam, etiamsi absque respiratione tantillum diei viuere possimus, vt in hysterico mulierum strangulatu perspectum est: ideoque de reliquis earum adhuc superstitum vitijs dicendum. Pulsus quidem, si cum *peste* valde paruus reperiatur, aut insignem cordis passionem viriumque lãguorem adesse, aut mortem in propinquo esse significat. *Ex pulsu.* Respiratio, vt in cæteris omnibus morbis, ita & in *peste* quoque, vituperanda est, si difficilis deprehendatur: & quò in ea difficilior est, eò maiorem intus subesse malignitatem ostendit. *Ex respiratione.*

Post vitales actiones, tum dignitatis ordine, tum etiam læsionis ratione, considerandæ sunt

in *pestis* etiam prognosi, animales, vt pote quæ non minùs earum vitia hâc in occasione immediatè sequuntur, quam proximè earumdem præstantiam & nobilitatem æmulantur. Ast non omnes hîc quotquot existunt exaggerandæ, verum illæ tantum, quæ cum vel omnino deficiant, vel vltra modum minuantur, aut deprauentur, malum portendunt morbi euentum. Itaque ex functionibus animalibus deprauari solent in *peste*, primo imaginatio & ratiocinatio, dum nempe delirant ægri: & tunc vel tanquã comatosi, vel quasi paraphrenitici cernuntur: omne autem delirii genus periculo plenum est in quolibet morbo, vnde Hippocrates multis in locis ad lethum dãnauit ægrotantes qui mente non constant, præsertim vero in coacis prænotionibus. Sed hoc ita se potissimum habet in *peste*, in quâ duæ istæ delirij species, non aliunde quam à causâ stupendâ promanant: alia scilicet ab inflammatione meningum ex partibus inferioribus inflictâ, altera vero ex earumdem liuore, intensæ malignitati tetrarum fuliginum ope superuenire, & necrosin accersere, solito.

Ex delirio.

Post sensum internum, communem dictum, delinquunt & externorum nonnulli dum *pestis* vehementior afficit, quorum vitia eo pejorem huius successum minantur, quo grauiores existunt. Præ cæteris vero gustus magnopere deprauatur, nec sapores rectè dijudicare poti

Ex gustu deprauato.

est, vnde tristis oritur salutis desperatio, quod cibos omnnes inde respuat ægrotans, (sinistrum in omnibus morbis signum prognosticum, vt docuit Hippocrates aphor. 33. sec. 2.) præsertim verò in pestilẽtiali quolibet affectu, vbi ob alimenti nimium pertinaciter reiecti, defectum, labuntur plerumque vires, cum potiùs augeri postulent, vt malignitatem tum aduenientem arcere, tum etiam introductam oppugnare, euincere, ac destruere valeant. In somni quoque perspectione inuigilãdum, vt certa eliciatur totius rei enuntiatio: qui si laborem faciat, (vt interdum contingit in isto malo, sicuti supra dictum fuit) non minùs in *peste* lethalis à me censetur, quam in reliquis, ab Hippocrate aphor. 1. sec. 2. affectuum præternaturaliũ generibus. Solet autem hoc in occursu laboriosissimus & valde turbulentus esse, ita vt cerebrum veluti serrâ rescindi, ægrotanti inter dormitandũ videatur. Adde quod æger insomnes sæpius integras fere noctes agit, aut saltem inquietâ tentatur diu noctuque agrypniâ: quæ quidem omnia malefida sunt & sinistri successus. Peccant etiam in diminutione nonnulla ad facultatem animalem pertinentia, veluti sensu's, & motus: sensus quidem, quando ita res se habet, vt ægri non nisi acriter puncti, punctionis dolorem sentiant: motus, cum paucos sine auxilio alieno possunt edere corporis motus, ne-

Ex somno.

Ex sensu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

que hoc ex ſolâ virium imbecillitate, vitalis principij læſionem ſpectante, ſed etiam ex ipſâ, animalis potentiæ, ac neruoſi ſpeciatim generis, affectione, procedit. De abolitâ vllâ facultatis animalis functione, non eſt quod diſſeram hâc in parte, cum nulla generis iſtius penitus deleatur in *peſte*, niſi dum ipſum eius principium corruerit, morsque dira ſeſe ad limina prodiderit.

Tranſeamus igitur ad facultatem naturalem: vt, ſi forte praua fuerit illius œconomia, male de illâ ſubaugurati, rebus noſtris opportunè conſulamus. Dicam breuiter quæcumque mala in *peſte* correptis notaui, ad facultatem iſtam malè habentem referenda: ſunt autem, (obmiſſis excretorum vitiis, vt quæ notabuntur inferiùs) deiecta appetentia, cibi faſtidium, nauſea, & ſitis inexhauſta; quæ iure merito peritioribus Medicis terrorem incutiunt, ſi ſimul omnia ſubiectum quoduis *peſte* affectum occupent, cum inſignem ardorem, calori natiuo occultâ quâdam malignitate aduerſum, viſceribus impactum eſſe demonſtrent. Haud ſecus excretorum vitia quæ *peſtem* ſolent comitari, lethalem eam efficiunt, ſi ipſi numero plura adnectâtur: ex. gr. frequens alui profluuium, vomitus effrenatus, ephidroſes ſeu ſudatiunculæ, vrinæ retentio, conſuetæ menſium aut hæmorroidum vacuationis ſuppreſſio, & ventris, ex fæcum aridâ induratione, aut mea-

Ex cibi faſtidio, nauſeâ, ſiti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

-um cholidocorũ, vel ipsius vesiculæ felleæ, obstructione, constipatio. Quorum terribi-lia sunt præ cæteris, creber vomitus, & inte-stinorum leuitas; quandoquidem si natura alimentum nullâtenus retinens, multum in-terim de suo penu perdat per inferiora loca, & continuo sursum deorsumque excernendi co-natu & labore agitetur, quâ se ratione ita debitur, vt hostis fortissimi [*qualis est pestis*] viribus acta non succumbat? vix sané vllâ. *Ex vomitũ, alui fluxu.*

Sequitur tumorum pestilentialium & eiusdẽ ordinis exanthematum prognosis: illorũ qua-litates variæ promiscuè interdum confundun-tur, adeo vt vnâ ex parte salutem pollicean-tur, ex alterâ vero mortem secum ferant: & hinc morbi euentus, signorum quæ reliquis magnitudine aut numero præualent, sit con-formis atque consonans. Exempli gratiâ, con-tingit non raro vt bubo sub axillis ortus, statim ab initio rubedinem contrahat, in molem & eminentiam eximiam elatus, durus tamen re-maneat admodum, & febris interim vrgea-t vehementisima; hâcque ratione fausta cum infaustis socientur indicia. Malum quidem est, si vbi bubo, crescendo & rubescendo ad maturationem manifestè procedit, nil tamen leuetur æger: signum enim est copiosum in-tus venenum latêre. Mala quoque bubonis summa durities cum rubore iuncta. Periculo-sus etiam bubo censetur, qui axillam alterutrã *Ex bubone.*

[mage vero qui ſiniſtram] occupat, propte
partium illarum cum corde conſortium & vi
ciniam. Aſt duæ reliquæ deſignatæ buboni
qualitates, ſecura omnia perferunt: plure
autem bubones maius periculum portendun
quam vnicus. Iam vero quale iudicium e
iſtâ ſignorum complicatione & repugnanti
colligemus? certè non aliter quam ad morter
concludere debemus: hîc nãque praua ſign
tum plura numero ſunt, tum maioris etiar
momenti, quam ea, quæ ad bonum contender
videntur. Idem puta de carbone peſtilent
Ex carbun-culo. aliiſque per cutem *peste* afflictorum apparen
tibus, vt ſunt papulæ ſeu exanthemata. Ca
bones quidem peſtilentes, ſi partes faciei ſu
periores, cerebrique vicinas, aut cordis re
gionem obſeſſerint, fuerintque magni & dur
& vehementem dolorem eduxerint, pericul
ſunt pleni. Denique quò plures numero ex
ſtunt, eo peiorem (quemadmodum de bubo
nibus dictum fuit) minitantur euentum. E
Ex maculis purpureis. puncticulis ſeu maculis pupureis, aliuſue cõ
ſimilis coloris, eadem educitur prognoſis
cum *peste* prodeant, ac ſi abſque ipſâ erum
pant: hoc autem eſt earum extra *pestem* præ
ſagium, ab authoribus omnibus qui de febr
purpuratâ ſcripſerunt, communi conſenſu
vnâque voce propoſitum, vt ſcilicet eò det
riorem ſucceſſum prænuntient, quò illæ nu
mero plures effloruerint, peſſimum verò,

vbi innumeræ ſint, liuidæ præterea vel violacei coloris appareant. Verum raro exeunt in *peſte*, niſi poſtquam interiit æger, aut ſaltem dum mors illum accedit proxima, & tunc maximâ ex parte edictos referunt colores: quando autem ſeſe *peſti*, nondum producto ægrotantis obitu, adnectunt, tunc tantillum bonæ ſpei præ ſe ferunt, ſi (vt accidit aliquando) perfectè rubræ ſint, & paucæ. Sed de ſignis ſaluiferis quæ in iſto morbo cernuntur, paulo infra diſſeretur: nondum enim ea perſecutus ſum omnia, quæ malitiam exerunt, quia reſerandi ſuperſunt dolores, velut accidentia omnium deterrima ac periculoſiſſima, quod nempe vires ſenſim abſumant, viamque præbeant funeſtis ſymptomatis. Dolores in *peſte* ſunt vel capitis, vel ſtomachi ſeu orificii ſuperioris ventriculi, vel ventris, vel partium in tumores peſtilentiales elatarum. Dolor capitis hîc ſæpius vehementiſſimus eſt, vrgetque potentiſſimè cum labore & vigiliâ ſoporoſâ: dolor vero ſtomachi, etſi non adeo ſit vehemens, vexat tamen non mediocriter cum anxietate & anorexiâ. Hæc autem omnia ſymptomata, dum ſimul & vno eodemque tempore quempiam afficiunt *peſte* ægrotantem, quid minus, quam robur omne virium frangere, nobiliores vitæ functiones obruere, & in lapſum agere, illiuſque tandem finem vltimum conſequi, poſſunt? Dolor ventris, cum humoris in eo latentis,

Ex dolore capitis.

Stomachi.

Ventris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

exitumque sibi quærentis, impetum sequatur, eius prognosticum ad supra allatam excretorum prognosim referendum est: idem puta de partium tumefactarum dolore. Atque hæc de iis quæ lugubrem rerum successum in *peste* denuntiant: veniamus nunc ad ea quæ solatio indulgent; quæ si, cum morbo ad quem referri debent, conferantur, non possunt in magno numero consistere, quandoquidem ille, vt iam sæpe monui, adeo diros effectus affectusque duros promere consuescit, vt mirum videatur, posse sub illius sæuitiâ quidpiam latêre suauitatis. Attamen cum *pestis* interdum (etsi raro admodum) ita sit comparata, vt exiguo pollens veneno subiectum offenderit ei contrahendo non valde dispositum, fit inde nonnunquam, vt quos attingit ægros benignè satis attectet, tot que [aut pluribus] salutis aduenturæ signis incedat stipata, quot & prauis seu periculi metũ incutientibus. Omnia quæ ego in tali angustiâ se fausto cũ omine prodere animaduerti, sunt, febris moderata cum exiguo capitis dolore iũcta; pulsus æqualis, atque in magnitudine & celeritate quodammodo mediocris, faciliuscula, vt sic dixerim, respiratio; mens sibi constans; corporis traquillitas solâ leuis febriculæ commotione acta, sed neque nauseâ, neque vomitu, neque alui profluuio, neque cardialgiâ vllâ interturbata; sommus labore & deliramento vacuus; surditas, aliquantulus ciborum

Signa salutis in peste.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

appetitus, ſudores vniuerſi, calidi, & copioſi, ſiue ſpontanei, ſiue ab aſſumptis remediis cardiacis & diaphoreticis prodeuntes; bubones tum poſt febrem, tum etiam ante ipſam erumpentes, & in eminentiam mollem perfectèque rubram paucis diebus increſcentes, & parui carbones promptè in cruſtam ſeu eſcharram exeuntes. Nec tamen hæc ſingula in vnico vnquam ægro deprehenſa ſunt, ſed pars eorum in vno, altera in altero potuit adnotari. Iam vero ſciendum eſt, obire nonnullos ægrotantium *peſte* infectorum cum aliquo prædictorũ ſalutarium ſignorum numero, ſaluoſque è cõtra fieri alios prauis quibuſdam ex ſupra enumeratis ſymptomatis affectos, quod ne tibi ſtuporem, candide Lector, imo nec ſcrupulum pariat, præ oculis habeas velim aureum hoc Galeni præceptum, comment. In aphor. 33. ſec. 2. ſcilicet, quandocumque in tradendo morbi cuiuſdam prognoſtico dicimus hoc vel illud ſignum eſſe malum, non ideo mortem; neque cum bonum, inde ſanitatem, ſtatim eſſe inſequuturam: nam, inquit ille, fieri poteſt vt bonum ſignum à maiore malo ſuperetur, & malum itidem à bono validiore euincatur. Et hoc ipſum eſt quod ſupra tetigi obiter, cum prænuntiationes quę ex vario peſtilentialium tumorum ſtatu, diuerſiſque eorumdem qualitatibus, educi poſſunt, enuntiare contendebam. Atquę hæç de ratione prognoſticandi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

euentus *pestis*; superest vt illius curationem, & quibus cautionibus ad eam ineundam vtendum sit, quam breuiter & dilucidè fieri poterit, aperiam, si priùs de vario, ad contrahendam *pestem* corporum apparatu, quædam dixerim.

Quærunt nonnulli, etsi profundâ permultarum rerum arduarum cognitione, longâque experientiâ præditi, imo & quidam in ipsâ arte Medicâ probè versati, qui fieri possit, vt pestilens venenum adeo diuersimodè erga homines se gerat, vt partem eorum, quæ forte per plures annos ægris *peste* correptis inseruiit, prorsus intactam puramque relinquat, partem verò, aut statim atque sibi expositam habet, aut pauculis post diebus inquinet? Huius rei variæ quidem possunt assignari causæ, quæ tamen omnes ad varias corporum ad suscipiendam *pestem* dispositiones referuntur: quapropter dimissis quibuslibet aliis, eam solam hîc exponam, quæ magnam illam dispositionum diuersitatem spectat.

Ad pestem suscipiẽdam quinam magis minusue sint dispositi.

Itaque ad eiusmodi contrahendam luem magis sũt dispositi, 1. qui [cæteris paribus] ipsá omnino perhorrescunt, eâque se statim correptum iri, indesinenti timore metuunt; ratio est, quia continuâ illâ formidine cor magnopere premitur; ac spiritus commouentur, vnde amissâ virium suarum parte aliquâ, appellenti veneno satis resistere nequeunt: minùs

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

verò, qui eandem aſpernantur, eiuſque experiundę periculum nullum eſſe, ſibi perſuadét. 2. qui carnes habent teneras, atque ex naturâ ſuâ debiles ſunt ac imbecilli: imbecillitas enim inſigne malum vix repulſare potis eſt [vt iamiam de corde ſtatuebam] mollities verò facili negotio vincitur: ſed minùs illi qui durâ robuſtâque pollent conſtitutione, ſiue à parentibus iure hæreditario deſumptâ, ſiue per viuendi rationem comparatâ. 3. qui cutis vniuerſæ poros amplos & velut hiantes habent; ſiquidem non raro per illos ſeſe in altum corporis intrudere ſolent prima peſtilentis veneni ſeminaria: è contra verò malum vitare ſolent ii faciliùs, qui dum anguſtis cutis meatibus à naturâ donati ſunt, quaſi ſub clauſis foribus ſecuri, tuto quieſcere videntur. 4. qui præternaturalem aliquam intus in corpore gerunt impuritatem, ſiue hæc in ſpiritibus, ſiue in humoribus aut in ipſis carnibus conſiſtat. Vt pote quæ vel per eſſentiam, vel per conſenſum quendam, partium nobilium robur & facultates labefactat, eaſque arcendo imminenti veneno impares efficit: adde quod interna corporis putredo, peſtilenti corruptioni aſſumendæ peruia eſt, ſiue id ex peculiari earum ἀναλογίᾳ ac ſimilitudine, ſiue aliâ de cauſâ ita contingat: at contarium de iis cenſendum eſt, quorum internę partes exactâ integrâque puritate potiuntur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Ex hisce iam dictis reliquæ nostrarum dispositionum ad contrahendam *pestem* differentiæ, quasi consecutione quâdam emanare possunt: illę nimirum quæ sexus, ætatis, habitus corporis, eiusdem status, temperamenti, & vitæ generis & conditionis varietatem respiciunt, neque expresso semone clariùs explicari debere mihi videntur. Dicam tamen paucis magis esse dispositas mulieres, quam viros: iuuenes, quam senes: obesos, quam graciles: affectu interno ægrotantes, quã perfectâ sanitate gaudentes: qui temperiem habent calidã, quam qui frigidam: qui humidam, quam qui siccam; atque adeo qui calidam & humidam, quam qui eandem frigidam & siccam sortiti sunt: deinde qui cum diuites sint, sedenteriam vitam degunt, & lauto vtuntur victu, quam ii qui magno corporis labore quę sibi ad vitam fouendam necessaria sunt, quotidie quæritant & comparare nituntur, vt sunt rustici, & plerique artifices vbium incolæ: denique qui nulla præcauendæ *pestis* arte instructi, illius arbitrio omnino subiiciuntur, quam qui in victus ratione hoc in casu obseruandâ, & remediis prophylacticis apprime adhibendis, exercitati, se aduersus truculentum illum hostem munire, nec ignorant, nec dedignantur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

DE MEDICO AVT CHIRVRGO AD CVRANDAM PESTEM ELIGENDO atque de eodem à peſte præſeruando.

CAPVT. QVINTVM.

QVum *peſtis* omnes fere quos attingit ægros, quaſi cœléſti verbere diſruptos interimat, inane videtur ac ſuperuacaneum, in tradendâ eius curatione tempus & operam expendere. Attamen cum nonnulli præſidiis medicis adiuti, ſingulis diebus ex eâ conualeſcant, operæ prætium eſt vt depictâ in ſuperiori ſermone doctrinæ *peſtis* parte Pathologicâ, de eiuſdem therapiâ quidpiam in poſterum proferam. Tentandum itaque aut morbum in totum tollere, aut [verba ſunt Hippocratis libello de arte] vehementes illius impetus obtundere. Verum antequam rectam in hoc negotio procedendi normam, & remediorum eiuſmodi curæ accommodatorum, arcana patefaciam, monitum te (candide Lector) velim, vt non quibuſlibet ſeſe ad id exequendum offerentibus, committatur ægrorum *peſte* laborantium attrectatio, ſed ijs tantum, qui & Phyſicam ſcientiam non ignorent, & Medicinæ Hippocraticæ cognitione fuerint imbuti.

Cura peſtis quibus committenda.

Ergo Medicorum & quidem methodicorum eſt, *peſtem* probè noſſe, eiuſque molem maturo conſilio deſtruere. Quod ſi interdum eorum defectu ad Chirurgos illius rei gratiâ confugere, tanquam deſperati cogamur, illi ſaltem eligendi ſunt quos artis Chirurgicæ peritos, & dogmata tum Ariſtotelica, tum maximè Galeniana callentes, χειρϊατρ8ς Chirurgo-medicos iure merito nuncupant. Iſtis verò rem omnem exacto ſcientiæ ſtilo dirigentibus, æquâ vero conſcientiæ lance perpendentibus, liceat ſi lubeat quorundam tyronum miniſterio in faciundis manus operationibus vti.

Eſto igitur Medicus dogmaticus, aut Chirurgo-medicus probatus, ad viſendos & pertractandos *peſte* correptos ægros conſtitutus, is ante omnia ſibi ipſi conſulat oportet, vt quam minori ſanitatis ſuæ diſpendio vitæque periculo, tam arduum munus exequatur, tum naturali boni ſui amore & philauticâ charitate [non prohibitâ] ductus, tum etiam, vt, quô diutiùs vitâ & integrâ valetudine fruatur, eô vtiliores manus miſellis ſuis ægrotis porrigat. Ad illud autem ſecuritatis gloriæque faſtigium, ſequentibus, ſi vllis, medijs ac remedijs perueniet. Imprimis ſupremum Medicum, à quò Medicinam ipſam prodidiſſe, docet ſcriptura ſacra Eccleſiaſt cap. 38. & pectore & ore inuocare debet, & potiores vires, primumque agendi auxilium ab eius miſeri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

cordiâ supplex exposcere, atque rem omnem ita apud seipsum expendere, nimirum qualiscumque futurus sit laboris sui successus, se grates summas maximo optimoque Deo retributurum. Hinc ad res naturæ Imperio subditas constanti animo transibit, nempe ad aërem spirandum, linteorum & vestimentorum induendorum electionem, alimentorum assumendorum vsum, remediorum vsurpandorum indagationem, eorumdemque sibi comparandi, componendi, & adhibendi curam, aliasque cautiones in pari occasione obseruandas.

Cautiones à Medico pestiferos tractante obseruanda.

Circa aërem.

Primo itaque aër eligendus est purus, liber, in qualitatibus primis quam fieri poterit temperatus, & satis ab ægrorum *peste* afflictorum lectis remotus: si enim inclusus est, nulloque spiramine peruius, facile suffocatur & putrescit, fitque ad inficiendos spiritus aptissimus. Pari ratione, si impuritate quâdam fuerit contaminatus, siue hæc ex cadauerum aut brutorum emortuorum corruptione, in terras exhalationes ascendente, siue ex aëris ipsâ pestiferâ labe infecti cõmunicatione, vel ex cõtagio, prodierit, magno producendæ *pestis* periculo plenus est. Si præterea calidâ & humidâ intemperie, ab Astrorum influxu ventisque insufflantibus, aut cadentibus nimbis acceptâ manifestè laboret: ex. gr. si meridionalibus ventis & pluuiis sit expositus, atque adeo sæpissime in caloris & humiditatis excessum abeat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

putredinem facile contrahit; putrefactus a[...]tem, pestilentiale malum, vt supra dictum[...] in subiecto tantillum disposito perfacile susc[...]pit. Denique si aër quem continuâ respirati[...]ne duxerit Medicus, cum eo consortium v[...]lum aut contiguitatem aliquam nactus sit, q[...] ægrorum ædes aut cubicula replet, vix diu sal[...]uus & *peste* vacuus eos attrectabit.

Circa Lintea. Lintea densa esse debent & pura, sæpequ[...] mutanda sunt, & quamprimum deposita, li[...]xiuio cinerum quercus aut sarmentorum ex[...]purganda, & aquâ purâ & fluxili diligenter la[...]uanda. Vestimenta itidem sint pura & plura[...] ex panno denso (qualis vsurpatur hodie apud[...] omnes, Gallicè vocatus, *trelis*) & gummat[...] parata, statim ab inuisis ægrotis depo[...]nantur, atque aëri libero, ventis, &[...] solaribus radijs exponantur, ac frequenter à sordibus & puluere liberentur: vtraque, cum illa voluerit induere, ad ignem priùs (si quâ madeant humiditate) attentè sunt exsiccanda, cum calor igneus putredinem aëris inhibeat & arceat, non modo tunc temporis, sed etiam singulis mane quamprimum è lecto surrexit, vel paulo ante, calefacienda.

Circa cibũ. Alimenta sumantur in quantitate modicâ: omnis enim repletio (vt vulgo dicitur) mala est, vel vt sapientissimus senex aphor. 51. sec. 2. *omne nimium est naturæ inimicum*, nimia quoque ventriculi vacuitas, corpus venenoso contrahendo aëri peruium efficit: qualitate vero

...nt euchyma & eupepta, boni ſucci faciliſque concoctionis, nullâ corruptione fœtida nulláque impuritate ſcatentia; ex. gr. oua ſorbilia recentia eaque vel ſolo ſale, vel puluere alio cardiaco, adiecto, condita; carnes ſanæ recenter mactatæ vitulorum, veruecum, caprorum, agnorum, gallinarum, caponum, pullorum gallinaceorum, quas tum elixas ...care confert, (tuncque paratis ex earum decocto iuſculis vtendum erit) tum vero aſſas, quemadmodum & pullorum columbinorum, turdorum, alaudarum, perdicum, aliarumque ...us generis volucrum: gaudet enim eâ varietate natura, eôque alacriùs functiones ſuas ...it, quo ſæpius innouantur bona quæ illi ſubministrantur edulia. Iuſcula & omnes carnes elixæ, erunt herbâ oxalide acetoſâ, ſucco malorum citriorum aut limonum, aceto, & tantillo cinnamomi & ſalis alterata; aſſa vero, vel ...la, vel puluere diamarg. frigid. aut de gemm. frigid. conſperſa, comedentur. Pro potu, habeat hyeme vinum oligophoron, tenue, & album, nullam putredinem redolens; hauriat ...ud paucâ aquâ fontanâ aut puteali purâ & limpidâ dilutum, aquæ quantitatem augendo pro vini cuiuſque robore ac meracitate: æſtate vero rubrum & acidum, quod paucillâ itidem aquâ diluendum. *Circa Potum.*

Hinc inter cibos ablegandi ſunt, quicunque prauâ vllâ qualitate præditi, cordis lætitiæ ſpirituumque nitori bellum indixe- *Alimenta, quæ noxia in peſte.*

xerunt; vt & animalium viſcera & inteſti-
fungi, rapa, braſſicæ, fabæ, fructus horar-
ijque præſertim qui vel nimium maturi ſu-
vel in totum aut ex parte tantum putrefact-
carnes humidiores, inſipidæ, mucoſæ, ac pr-
cipuè animaliũ à longo tempore interempt-
rum, aut eorum, quæ ex ſe morte naturali, a-
ex morbo, vel aliquo languore perierũt; piſc-
omnes, præcipué fluuiatiles, atque illi qui-
ſtagnis aut in lacubus fuêre capti, & omnes c-
mortui venduntur; alimenta pinguia & ole-
ginoſa; caſei molles, viſcidi, recentes; pa-
azymus, vt & inſulſus, & alia ſimilia. Int-
liquores vitandi ſunt omnes qui vel craſſi ſu-
& turbidi, [excepto vino adſtingente rubr-
vel aliquantulæ putrefactionis ſuſpicion-
inferunt, quales ſunt aquæ ſtagnorum, lacuu-
paludum, aliæque omnes quæ liberâ fluer-
viâ, continuoque curſu, depurari atque att-
nuari nequeunt. Nocent itidem vina dulc-
& meraca, tuncque potiſſimum cum vel m-
ra hauriuntur, propterea quod ſpiritus i-
flammant, & caput vaporibus replent, eiu-
que grauitatem ac ſoporem producun-
quæ quidem omnia malefida ſunt ijs q-
peſtis veneno ſeſe exponunt: aſt tenuia, in-
matura, & ea quæ cœperunt aceſcere, fu-
dumque redolent, non adeo reſpuenda ſu-
etſi enim ex vnâ parte non conferant, quonia-
ſcilicet ciborum concoctionem imperfectè i-

t; ex aliâ tamen laudabilia sunt tanquam
phylactica, quod nempe humorum putre-
tioni, imò & ipsi pestilentiali corruptioni,
enter resistant; immaturum quidem, stip-
â acerbitate, aliud vero sensibili aciditate
di non ingratâ. De aquâ purâ, aut eâ quæ *Qui liquo-*
co pomorum mixta est, & pomacea dici- *res.*
, hauriendâ, controuerti potest, an hoc in
o prohiberi debeat. Ego quidem existimo
n modo innocuum iis esse vtriusque vsum,
er totam quam vixerunt ætatem eiusmodi
ui fuerint assuefacti, imò verò fore ipsum
tatione vini quodammodo vtiliorem: tanti
omenti est in victus ratione consuetudo; vn-
dicebat Hippocrates Aphoris. 17. sec 1. ali-
id condonandum esse consuetudini, & apho-
50 sec. 2. quæ longo, inquit, tempore as-
eta sunt, etsi deteriora sint, insuetis tamen
inùs molesta esse solent. Atque idem de vsu
iorum censendum: iuuant enim eos quî tali
bi genere vesci consueuerunt, aliis vero sus-
ecta esse debent, atque æstate potissimum, iis-
e maximè, qui biliosi humoris prædominio
xantur, pichrocoli dicti, quibus quidem
oxia sunt omnia quæ bilem augere & in ardo-
m agere nata sunt, puta cum prædictis, na-
rtium, piper, sinapi, porra, & alia eiusdem
neris innumera. Atque hæc de alimentorum
u, quibus adde, cibos esse actu calidos, aut
ltem calidiusculos assumendos, potũ autem

frigidum: ac præterea iuſcula, ouaque ſo
bilia, offæ & carnibus eſſe præponenda, he
bas iuſculorum conditrices vnâ cum offâ e
comedendas, paſtumque numerum & menſ
ram ita debere eſſe comparata, vt plus repl
ctioni quam inanitioni indulgeatur; ſati
enim hîc [vt trito dicitur adagio) vitium
exceſſu quam in defectu, etſi vtrumque no
ium eſſe, & in ſolâ mediocritate ſecuritate
conſiſtere, minimè diffitear.

h *Præſidia à peſte præſeruantia.*

Remedia quibus in hoc caſu conducit v
vel ante inuiſendos ægros adhibenda ſunt, v
in eorum tractationis tempore. Itaque ant
quam ſuſpecto aëri ab eiuſmodi ægrorum co
poribus exhalanti, ſe committat Medicus, ſi
proſpicere debet, an intemperie aliquâ ſit a
fectus, deinde an repletione, cacochymmi
aut viſceris cuiuſdam obſtructione tentetu
quodcumque enim horum ſit, idipſum contr
riis illi remediis vel omnino auferendum e
vel ſaltem corrigendum. Et hoc eſt quod præ
cipit Galenus cap. 5. lib. 1. de different. feb
vbi de prophylacticâ ſeu præſeruatiuâ *peſ*
doctrinâ diſſerens, *corpora*, inquit *humida ſu*
exſiccanda, ſicca vero in antiquo statu conſe
uanda, ac præterea cacochymia ſeu prauorum h
morum collectio est expurganda, atque obstructi
nes liberandæ. Aſt quo pacto eorum ſingula d
beamus exequi, non exprimit ibi citatus A
thor. Ego in hoc ita procedendum eſſe exiſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

io, vt quæcumque adhibeantur remedia, siue ἀλλοιοτικὰ seu alterantia sint, siue cathartica ut purgationi dicata, tum deleteriam pestilẽtialis veneni qualitatem, tum maximè partium nobilium robur quodammodo respiciant, admixtis quibusdam, illi scopo, aut manifestâ, aut occultâ saltem proprietate, accomodatis. E.gr. si hepatis adsit intemperies calida, ea nõ solis hepaticis, partim frigidis, partim in calore & frigiditate temperatis, vt vulgo fieri solet, verum admixtis simul quibusdam cardiacis frigidis, & antidotali seu alexipharmacâ virtute præditis (quorum mentio fiet in posterũ) alterabitur. Haud secus si colluuies impura ex parte quâdam internâ detrudenda sit, aut emphraxis seu obstructio quæuis arte soluenda, medicamentum ex pluribus simplicibus componendum erit, quorum pars altera humoris oppilantis, aut aliter peccantis, vacuationi, & viarum reserationi, suam dicauerit operam, altera vero tum partium affectarum cum earum quæ magis in *peste* lædi patique consueuerunt, vires & incolumitatem seruare nata sit; quibus adde topicorum vsum in eundem finem supra cordis, capitis, hepatis, lienis, & ventriculi regiones separatim admouendorum, de quibus omnibus infra dicetur passim. Blandis in- *Clysteres.*
terim clysteribus aluus ad debitam functionẽ obeundam est excitanda, si quando, diutiùs quam par sit, ferias agat. Itidem venæ sectio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

conferet vbi certa cuiuslibet plethoræ, aut putrefacti sanguinis, adfuerint indicia, tuncque pro vitii indicationé, & virium naturæque tolerantiâ mittetur sanguis ex cubito lateris magis affecti.

Caustica & fonticuli. His iam dictis diligenter obseruatis, confert sibi caustica vel fonticulos, tam ad nucham quam in bracchiis & cruribus, applicare, & eorum vlcera tamdiu aperta seruare, quamdiu curæ *pestis* vacetur, quæ quidem eô plura numero sint, quo crassior corporis fuerit habitus. Partium autem sic vlceratarum vtilitas est, quod omnem spirituosam, omnemque humoralem illuuiem, [si quæ in tam eminenti periculo contrahatur] ab internis quibusdam totius corporis partibus, tanquam famulæ patentes, debiles, ignobiliores, & obedientes accipiunt, continuâque operâ prolectant: scitum enim est apud omnes Medicinam factitãtes, naturam, in expulsandis ad partes ignobiliores (quales sunt externæ & subcutaneæ) & imbeciliores, [quales eædem ipsæ vlceratæ] iis omnibus quæ illi noxam molestiamue pariunt, perpetuo esse intentam, istas vero ad ea officiosè recipieñda, naturaliter esse paratas tam propter suam imbecillitatem, accidentali modo attrahentem, [quæ ideo inter causas attractionis à vulgo Medicorum recensetur] quam ignobilitatem, quælibet à fortiori subiecto illis commissa respuere nesciam. Quamobrem

[..]orem si antequam officio suo fungatur pestilentiæ Medicus, aliquo hæmorrhoidalis aliusve vacuationis beneficio, puta per vlcus aliquod diuturnum & minimè malignum, aut gonorrhœam virulentam doloris iam expertem [..] placidè fluentem, commodè mundari solcat, non erit illa supprimenda, imo potiùs in motu & ordine suo consueto pro viribus fouenda, quæ si copiosa fuerit, causticorum prædictorum vices subibit, nec tunc erunt hæc applicanda, sed sufficiet cardiaco epithemate solido, vires, spiritus, & cor ipsum recreare. vt,

Epithema solidum.

℞. conser. violar.
buglos.
borrag.
scabios. ana ℥iii.
confect. alkermi.
de hyacint. ana ℥ii.
theriac. optim. ℈ iiii.
ol. scorpion. Mathiol. ʒß.
aq. cinnamo. gutt. vii.

Misce fiat epithema quod extendatur suprà pannum scarlatinum, regioni cordis calidiusculè admouendum.

Ast quo tēpore suos inuisit & attrectat ægros, non illis tantūmodo supra propositis, verum & aliis quoque prophylacticis tā externis quam internis præsidiis vti debet. Ac primo quidem singulis mane è lecto egressurus, nechon paulò ante visendos ægros, atque statim ab iisdem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

inuisis, tempora, carpos, manus, & interna extremaque oris, narium, & aurium, sequenti aceto æstate quidem abluet.

Ablutio extremitatum pro tempore æstiuo.

℞. radic. enul. campan. ℥ii.
herbar. acetos.
oxytriphyll. ana. M. i.
flor. violar.
ros.
bugloss.
borrag.
genist. ana. p. ii.

Incidantur omnia & proiiciantur in spirit. aceti semel rectificati ℔. iiii. in quibus macerentur indesinenter, & vtatur vt dictnm.

Hyeme verò, ac præsertim si cerebrum plus æquo frigidum humidumue fuerit;

Alia tempore hiberno.

℞. radic. angelic. Bohem. incis. ℥. i.
cinnamo. per frustula sect. ℥. ß.
folior. rut. incisor.
granor. iuniper. leuiter contusor. ana M. i.

Misce & macerentur in aceti destillati eâdem quantitate, ac pro eodem vsu ac supra.

Deinde cor tam assumptis quam admotis, aduersus tetros halitus vndequâque illi aduenturos muniet; ideoque prædictum epithema continuè gestabit, quod vbi vsu attritum erit, simili adiectâ illi materiâ reparabitur, atque vbi opus videbitur in totum iterabitur: per os verò vtetur singulis diebus hoc cardiaco.

Morsellus.

℞. theriac. veter. ʒß.

mithridat.
confect. alKerm.
de hyacint. ana. ℈i.

Miſce fiat morſellus, quem voret mane tribus horis ante omnem cibum, per ſe, vel ex ſaccharo albo aut ſyrupo de ſucco limonũ, ſuperbibendo vini oligophori optimi vncias duas.

Poterit ſi maluerit morſellum vino diſſoluere, & ſimul cum ipſo haurire: vel eodem modo aſſumet drachmam vnam opiatæ contra *peſtem* dictę, quam omni anni tempeſtate, & quâlibet Cęli conſtitutione ſæpiſſime magno cum fructu in pari occaſione præſcripſi, peculiariter vero apud noſtrates in vrbe Mont-de Marſan vocatã anno 1631. cuius hæc erat deſcriptio.

℞. cinnamo. optim. conquaſſat. *Opiata.*
rad. angelic. Bohem. dilengenter trit. ana ℥.ß.
granor. iuniper. ad ſolem exſiccator.
trochiſcor. de ſpod.
de bol. armen.
de terr. ſigill.
de viper. ana ʒii.
lapid. bezoar. ʒi
moſch. ℈ß. Miſce fiat omnium puluis tenuiſſimus, cui adde
conſeruar. flor. caryophyllat.
borrag.
violar. ana ℥ß.

puluer. electuar. contra *peſtem* Bauderonii
de gemm. frigid.
diamatg. frigid.
electuar. liberant.
diambr.
lætificant. Galen. ana ʒiii.
theriac. venet. aut monſpeliens.
mithridat. Damocrat. probat ana ʒvi.
confect. alkerm.
de hyacint. ana ℥ß. Miſce & cum ſyrupi de ſucco limonum aut de acetoſitate citri quantitate ſufficienti ad debitam conſiſtentiam, fiat opiata, quæ ſeruetur vſui.

Tabella. Interdiu verò mandet tabellas paratas ex puluere contra *peſtem* à Bauderonio deſcripto lib. 1. ſec. 4. ſuæ Pharmacapœæ, adiectâ ſacchari albi aquâ ſcabioſæ aut card. benedict. diſſoluti quatitate ſufficienti: pondus cuiuſque tabellæ erit ʒi. ſumet autem ſingulis diebus vnam quâlibet horâ, (exceptis iis quibus ventriculus recenter accepto turget alimento) ſuperbibendo vini albi optimi vncias duas. Vel ad recreandam gratâ varietate naturam, atque ne illi faſtidium pariatur nuſquam mutato vnius eiuſdemque remedii vſu, capiat interdum tabellas duas mane tribus horis ante omnem cibum, vinumque, vt dictum fuit, ſuperbibat: atque eâ de cauſâ ſi variorum eiuſmodi remediorum copiam ad manum habeat, naturam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

vnico præsidiorum generi non assuefaciet, sed hæc, siue matutina sint, siue vespertina, singulis diebus variabuntur. Tabellarum harum defectu, poterunt hæ quæ sequuntur meæ descriptionis facilisque compositionis in eundem vsum adhiberi.

Alia.

℞. cort. citr. exsiccat.
radic. angel. Bohem.
radic. tormentil. ana ℥iii.
radic. diptamn. alb. ℥ii.
bol. armen.
terr. sigill. ana ℥i.ß.
perlar. splendidior.
corall. alb.
corall. rubr. ana ℥i.
lapid. smaragd.
granator. ana ℈.i.
lapid. bezoard. ℈ß.
mosch. oriental. g̅. vii. fiat omnium ex arte puluis & adiecto immixtoque ad debitam quantitatem saccharo albo aquâ scabiosæ aut card. bendicti dissoluto, fiant tabellæ pondere ℥i. quibus vtatur vt dictum; vel deglutiet mane longè ab omni cibo ℥ii. sequentis conditi, & totidem sero duabus horis ante cœnam.

Conditum.

℞. conseru. flor. scabios.
caryophyllat.
violar. ana ℥ii.
theriac. venet. optim.
mithridat. Damocrat.

confection. alker.
de hyacint. ana ʒi.
puluer. diamargarit. frigid.
de gemm. frigid. ana ℥ß.
rasur. ebor.
rasur. cornu ceru. præparat.
margarit. præparat. ana ʒiii. Misce & cum sacchari albi aquâ florum carryophyllat. aut scabios. dissoluti quantitate sufficienti, fiat conditum auro coopertum, vtatur vt dictum.

Quod si dulcem sacchari saporem fastidio habeat, tabulasque respuat, poterit haurire drachmam dimidiã pulueris prædicti dissolutã in vino albo aut aquâ cardui benedicti: confert etiam loco tabellarum vti extracto granorum iuniperi ad ʒj. pro singulis dosibus, nullum liquorem superbibendo, sed obseruatâ eâdem ac supra ieiunii cautione: vel hauriet cochlear vnum aut alterum huius stillatitij liquoris, bis in die, scilicet mane 3. horis ante omnem cibum, & sero medio tempore inter prandium & cœnam.

Destillatum ℞. radic. angelic. vtriusque ana ℥j.
rad. tormentil.
cort. citr. sicc.
cinnamo. optim. ana ℥ ß.
granor. iuniper. ad solem exsiccator. M. ß fiat omnium ex arte puluis crassiusculus, cui adde.
puluer. electuar. de gemm. frigid.

diamargar. frigid. ana ʒiij.
conseruar. flor. nymph.
flor. caryophyllat.
flor. borrag. ana ℥j.
confect. alkerm.
de hyacint. ana ʒvj.
theriac.
myttridat. ana ʒiij. Macerentur omnia simul per spatium 48. horar. in cellâ in aquar. card. bened. & scabios. ana ℔. iiij. deinde adiectis vini albi veteris libris duab. fiat destillatio in Baln. Mar.

Noctu vero quâ se horâ cubitum conferet, poterit haurire iulapium paratum ex aq. stillat. card. bened. & vlmar. ana ℥ij. syrup. de suc. limon. ℥j. & confect. hyacint. ʒj. omnibus simul mixtis. *Iulapium.*

Porro dum prædicta omnia in vsum adhibebit, animum aduertere debet, an quid in internis corporis sui partibus colligatur cacochymiæ aut plenitudinis sanguinis, iisque pro sui temperamenti suæque naturæ ratione obuiam ire, purgatione nimirum aut venæ sectione, vel etiam vtrâque interiectis aliquot diebus, atque cœlo sereno horisque cõmodis celebrãdâ. Purgabitur autẽ mediâ parte pilularũ antipestilentialium Ruffi, (quæ parantur ex aloë, myrrhâ, croco, ex syrupo de succo limonum) & alterâ aliarum pilularum peccantis in illo humoris expurgandi scopo respondentium,

qui si biliosus fuerit, erunt illæ de Rhabarbaro, si pituitosus, de agarico; at si melancholicus fuerit ille humor peccans, hoc apozemate sensim euacuabitur.

Apozema. ℞. radic gram.
rad. buglos. ana ℥j. ß.
folior. buglos.
borrag.
capill. vener.
meliss. ana M.1.ß.
folliculor. senn. orient. mundat. ℥j.
epithym. cretens. ℥. ß.
flor. viol.
flor. borrag.
rosar. ana p. ij. fiat omninm decoctio in aquæ fontanæ puræ quantitate ad 4. dos. sufficienti, quas capiat alternis diebus mane longè ante iusculum, adiectis priùs in singnlis dosibus [exceptâ vltimâ] syrupor. capill. vener. & borrag. ana ℥j. aut ʒvi. fiat apozema clarum & aromatisat. ʒj. puluer. electuar. de gem. frigid.

Pro vltimâ vero dosi.

℞. Prædict. decoct. ℥iiij.
Infunde rhabar. elect. ʒij.
cinnamo. leuiter. trit. gr. vij.
Et factâ forti expressione dissolue.
confect. hamech. ʒij.
syr. de pom. composit. reg. sabor. ℥j.
fiat potio quam capiat summo mane die ele-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

ſtiore, obſeruetque cuſtodiam & regimen artis.

Nota tamen quod raro euenit, vt poſt longum & frequentem remediorum cardiacorum [qualia ea ſunt quæ ſupra deſcripſi] vſum, vitioſa contrahatur intus humoris melancholici copia, imo potiùs ſolet iſte tunc temporis illorum virtute minui ac temperari.

Nota etiam non eſſe eâ die viſendos peſtilentes ægros, quâ vel venæ ſectio celebratur, vel hauſta fuerit potio præparandis purgandiſque vitioſis humoribus dicata: corpus enim in illis temporibus ad ſuſcipiendum venenoſum aërem aptius eſt, quod tunc natura, plus ſolito debilis exiſtat, & cutis meatus excipiendis ambientis aëris iniuriis pateant.

Nota denique, ſi non vnicus delinquat humor, ſed plures in vitio fuerint, componenda eſſe remedia, tum præparantia, tum etiam purgantia, ex iis quæ vtrumque humorem peccantem reſpiciant.

Atque hæc de remedijs Medici præſeruationem ſpectantibus, quibus addet ipſe ſequentium præcautionum obſeruationem, & ſi voluerit amuletorum & pomorum ſuauiter odorantium [de quibus in vltimo huius tractatus capite diſſeretur] decentem applicationem.

1. Ignem in cubiculo ſuo, tempore quidem brumali continuum, æſtiuo vero, frequentem habere debet, ex ligno nempe pini, aut *Ignis continuus.*

quercus, aut sarmentorum.

2. Sæpissime lignum aliquod odoratum, puta laurum, iuniperum, aut aliud eiusmodi circa lectum accendere, & flammis quam poterit clarioribus absumere.

Ligna comburenda.

3. Nunquam inter ignem & ægrotantis lectum sese exponere, & quam breuiter fieri potest, opus omne, siue colloquii, siue attrectationis, siue applicationum, terminare. id est, quam citò possit, ægrum attrectare ac medicari, & ab eo recedere, nullis cum ipso habitis inutilibus colloquiis.

Suffitus.

4. Suffitum sequentem mane dum surgit, atque serò cubitum iturus, ore naribusque hiantibus attrahere, necnon in vestibus & linteis interdum excipere. vt

℞. ladan. pur.
beniouin. ana ℥ij.
lign. aloës
cort. thur. ana ℥j.
styrac. calamit.
caryophyllor. ana ℥ß.
gall. moschat. ℈j.
mosch. gr. iiij. Misce & contusis contendendis excipiantur omnia aquâ rosarum & fiant pastilli, qui iniiciantur supra prun. candent. & recipiat fumum vt dictum.

5. In eo autem momento quo ægrotantes est accessurus, atque etiam quamdiu eos attrectat, & donec ad proprium domicilium redierit, se-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

quentem suffitū ad nares habere debet, ex ignitabulo manu sinistrâ tunc temporis gestando.

℞. frustul. cinnamo. optim.
rad. angelic. Bohem. ana ʒi.
folior. rut. siccor. p. i.
styrac.
beniouin.
sulphur. leuiter trit. ana ℥i. Misce vtatur vt dictum.

6. Tunc quoque si candelis opus habeat, cereis vtatur, & dū ægrū attrectat, iubeat illi faciē parū auertere, & ipse similiter suā auertat, ne impurum illius spiritum hauriendo inquinetur. *Candela cerea.*

7. Interim etiam corpus hyeme probè vestibus tectum habeat, æstate verò non nimis nudum, & in victu conuenienti diligenter obseruando sit exactus. *Vestes.*

8, Caueat præterea à vehementiori corporis motu; ab otio diuturniore & quiete nimium desidiosâ; à longo somno, præcipuè à diurno; à vigiliis immodicis, ac denique ab omni mœrore & tristitiâ, à metu, ab irâ, aliisque eiusmodi animi pathematis, ingentem cordis & spirituum commotionem inferre solitis. *Motus & quies.* *Somnus & vigilia.* *Animi perturbationes.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

DE CVRATIONE PESTIS.

CAPVT SEXTVM.

PEstis vbi perfectam curationem potest admittere, hâc, si vllâ methodo percurabitur. Imprimis animaduertendum quo symptomatum genere mage diuexetur æger *peste* correptus, vt illi statim subsidium feratur. Quod si virium adfuerit imbecilitas eximia, aut cardialgia quæuis, aut paraphrenitis, ab illis tanquam ab vrgentioribus auspicandũ, vires nimirum refocillando, delirium sedando, & cordis aut stomachi doloris causas auferendo, vt infra docebitur. Habenda interim, febris, temperamenti ægrotantis, & anni tempestatis ratio, vt pote quę differentes remediorum eundem finem præcipuum respicientium qualitates expostulant. Etenim vbicumque deiectæ vires reparandæ veniunt, cardiacis quidem omnino vtendum est, tam ore assumendis, quã extrinsecus supra cordis regionem admouendis, de quibus etiam infra disseretur. Verum hæc in hyeme, temperamento ad frigidum magis vergente, nondum vrgente febre, calida magis eliguntur: frigidiora verò, si forte biliosus fuerit æger, febris intensa, & tempus æstiuum. Idem puta de cæteris omnibus to-

Cura pestis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

us curationis scopis. Quocumque autem modo res se habeat, hoc perpetuæ veritatis est, ctum nempe conuenientem esse præscribenum, [qualis in præcedenti capite descriptus it] eumque initio debere esse tenuem; quoam natura tunc in procinctu consistens, priisque diebus in expellendâ ad partes externas orbi causâ, penitus occupata, non est idcir à munere suo cibis largioribus auocanda. ræterea cardiaca debere continuo esse in vsu, aque tam separatim exhibenda, quam alimens condiendis & alterandis immiscenda. Deique morbum istum expetere vt calidis alimentis & medicamentis (loquor de caliditate otentiali] magis certetur circa illius initia, dummodo febris non adsit vehementissima) t iis acta & adaucta vis naturæ, tunc pro roore decertantis, euincendo malo fortiùs incumbat, & ad illud foras detrudendum contet. Quamobrem soleo ego in eiusmodi casu, *Victus ratio.* is præsertim hiberno tempore, alterare primo iuscula buglosso, borragine, & citragine seu *Iuscula, hyeme quibus alteranda,* melissâ; vinum aquâ multâ fontanâ dilutum pro potu ordinario propinare, cuius quantitatem augeo, vel minuo, pro febris exiguitate *Vinum.* aut vehementiâ, aut aliarum eiusdem generis circumstantiarum indicatione; & oua recentia *Oua sorbilia.* sorbilia pulueribus cardiacis calidis, loco salis, condita, quales sunt ex electuar. diambr. de gemm. calid. diamargarit. calid. & lætificant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Galeni. Hinc ad remedia efficaciora deueniō;
Alexipharmaca contra pestem adhibenda.
qualia sunt, Theriaca Veneta aut Monspeliensis, Mithridatium Damocratis, Antidotus Mathioli, Oleum Scorpionum eiusdem, supra regionem cordis adaptandum; aquæ, vitæ aurea dicta, cardui benedicti, antidotalis Mathioli, Imperialis, theriacalis, cinnamomi, vlmariæ; trochisci de viperâ, radix Angelicæ Bohemiæ puluerata & ex vino hausta, grana iuniperi ad solem exsiccata & puluerata, horum adhuc viridium extractum, & alia eiusmodi quæ tum extrinsecus applicari, tum maximè intus ore assumi iubeo.

In morbi verò progressu, & in eiusdem declinatione, ac peculiariter in naturis calidioribus, æstiuâ tempestate, & febre pertinaciter perseuerante, vt sæpè nimis, & malis multorum rebus euenit, tunc nimirum cum *pestis* corpora ingreditur putredine scatentia, iuscula oxalide, succo limonum, & tantillo aceti alteranda sunt; oua verò, aliaque alimenta tam liquida quam solida, tam assa quam elixa, iisdē pulueribus cardiacis frigidis aspergantur, scilicet diamargar. frigid. aut de gemmis frigid.
Iuscula æstate quibus alteranda.

Pro potu vtendum decocto radicis acetosæ, cui colato addatur succus limonum depuratus, affusis, eo quo potus exhibetur momēto, spiritus vitrioli semel aut bis rectificati guttis aliquot. Remedia itidē vel ex istis erūt cōcinnāda vel ex aquis bugloss. scabios. borrag. acetos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

or. nymph. rosarum; vel ex succis limon. al. citr. acetosæ, vel ex conseruis buglos. orrag. flor. nymph. viol. vel ex trochisc. de ol. armen. de spod. de terrâ sigillatâ; vel ex surâ eboris & cornu cerui, vel denique ex onfect. alkerm. & hyacint. si prædictæ inditiones mixtæ fuerint, videlicet si in acerbâ ediæ hyemis tempestate, febris non adeo mis adesset, atque ægri temperamentum ad calum vergeret; aut è contra, si in tempore val: æstuoso, ægrotus tanquam ἀπυρετὸς omnisque fere febris expers, temperamento inrim esset frigidiore, tunc remedia calida frilidis tutò permisceri possent, atque in faciunà eorum permistione, augenda magis calidoum quãtitas vbi refrigerandi præualet indicao, frigidorum vero, vbi calefaciendi. Idem ita de ratione victus, seu de alimentorum ipra descriptorum vsu.

Sed vt hæc omnia delucidiora fiant, & captu ciliora, ponam vnum casum, ægrum nempe mperie nec calidum admodum, neque etiam alde frigidum, in quâlibet tempestate *peste* ecenter correptum, febre tamen non adeo vioentâ vexatum, sed de dolore circa collum xillas, aut inguina, [vt sæpissime contingit] uerulum: huic ego imprimis victum quantiate tenuem, & qualitate temperatum, supra asè satis à me descriptum, præscriberem: einde potum cardiacum simul & diaphoreti-

cum exhiberem, paratum ex aqu. card. bened. & vin. alb. veter. ana partib. æqualib. in quibus dissoluta fuissent Theriac. Andromach. & Mithrid. Damocrat. ana ʒß. opiat. contra *pestem* supra descript. ℈i. Misce fiat potus hauriendus quâlibet horâ longè à cibo. Interea oleum scorpionum cōpositum Mathioli supra region. cord. calidè admouerem, superponendo pannum rubrum scarlâtinum: Huius olei vices gerere poterit epithema sequentis descriptionis.

Epithema solidum. ℞ theriac. optim.
mythridat. probat ana ʒii.
confert. alkerm.
de hyacint. ana ʒi.
aq. vit.
ol. scorpion. simplic. anà gutt. x. Misce fiat epithema solidiusculum quod extendatur & applicetur eo quo supra dictum modo, gestetur que per aliquot dies atque vbi forte gestatione attereretur, sæpe erit singulis diebus reparandum, adiectâ nouâ eiusdem compositionis materiâ.

Progrediente verò morbo, partes antea dolentes inspiciendæ sunt, in quibus si quid se tumoris offerat, cucurbitulæ siccæ supra easdem erunt statim admouendæ, vt illud facilius exeat quod natura foras expellere conatur, *Cucurbitulæ siccæ.* postea tumores [de quorum curatione sequenti capite differetur] pro suâ quisque naturâ, tractabuntur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

tractabuntur, & vires alimentis boni ſucci faciliſque concoctionis, atque remediis ſpiritus reſtaurare, partiumque nobiliorum robur conciliare natis, iam ſupra deſcriptis, apprime fouendæ ſunt. Eadem porro remedia toties iterarem, quoties morbi viriumque ſtatus, eorum vſum ſuaderet: neque ad alia confugerem dum iſta ad manum eſſent, etſi eiuſdem virtutis innumera facile comparari poſſint, qualia ex prædictis in pari occaſione plerumque componuntur, propterea quod nihil vnquam efficacius, nihil tutius, in illo negotio expertus ſum, quam illâ iamiam à me traditâ methodo cõtra morbum eiuſque ſymptomata decertare. Quod ſi plus minuſue calefaciendi aut refrigerandi adfuerit indicatio, tunc ea ex prædictis eligentur remedia, quæ ad ſcopum propoſitum adimplendum, ſuâ temperie, ſuiſque virtutibus aptiora, præſenti Medico videbuntur. Atque eâdem omnino ratione in victu præſcribendo procedendum eſt.

Verum fit interdum vt ſtatim ineunte *peſte*, ſæua quædam ſymptomata ita ægrotantes obruant, vt eos ad orcum protinus emiſſura videantur, nimirum febris violenta, magna virium imbecillitas, & moleſtiſſima cardialgia, de quibus ſupra obiter tantum dictum fuit, ideoque adde iis vomitum effrænatum, alui fluxum immoderatum, & dolorem capitis vehementiſſimum, cum continuis vigiliis, & forti

delirio iũctum, quæ quidem tanti ſunt momenti, vt, quemadmodum ſupra monui, neglecto ipſo morbo, integram Medici manum ad ſe iure quodam alliciant, eamque per aliquod tempus continuo retineant; quamobrem ſedandorum illorum viam monſtrare propero, à febris ardore exordio ſumpto.

Symptomata peſtis quâ ratione ſedanda: vt,

Febris.

Febris illa ardentiſſima (quæ ideo πῦρ, id eſt, ignis, vocatur ab Hippocrate paſſim in libris de morbis vulgaribus) cum in intenſâ putrefactione conſiſtat, ſiue hæc ſpirituum tantum fuerit, ſiue ſpirituum ſimul & humorum, præſidia expoſcit ad putredinem iam contractam reprimendam & nouam inhibendam apta, eaque frigida, quibus vel omnino reſtingui, vel temperari ſaltem poſſit febrilis æſtus, qualia inter alimenta ſunt iuſcula alterata oxalide, pimpinellâ, ſucco limonum; potus paratus ex decocto radicum graminis & acetoſæ; adiectis ſucci limonũ, & ſpiritus vitrioli, ſalis, aut ſulphuris, guttis aliquot; carnes prædictis pulueribus cardiacis frigidis cõſperſæ, & id genus alia. Inter medicamẽta vero, conſeruæ florũ violarum, roſarum, & nympheæ; electuaria de gemm. frigid. & diamargarit, frigid. (debent enim omnia quæ in *peſte* ad refrigerandum vſurpantur, vi quâdam cardiacâ pollêre) confect. de hyacinto; ſyrup. violac. & de ſucco limonum; aquæ ſtillatitiæ acetoſæ, ſcabioſæ, &c. quibus adnecti poſſet venæ ſectio, præ-

fertim vbi quædam adſunt putredinis humorum indicia: ſed de iſtâ operatione chirurgicâ ſequenti capite agetur, vt & de purgatione in *peſte* adhibendâ aut obmittendâ.

Virium imbecillitas in *peſte* nunquam initio premit ægrotantem, niſi fortaſſis ea quæ ab interno peſtilentis malignitatis veneno, cor ipſum per arteriarũ viam alioſque ductus quatiẽte, originem ducit: hæc autem non aliter commodius citiuſue reparari ac reſarciri poteſt, quam frequenti prædictorum vſu; quæ quidem minus calida ſunt vſurpanda, vbi febis violentia, aut alia quæuis eius generis indicatio, frigida vſurpanda eſſe clamat: calidiora verò, cum nulla ſeſe offert refrigerandi neceſſitas. *Virium imbecillitas.*

Sed frequentiſſima eſt in *peſte* cardialgia, quæ ſi ſuo relinquatur arbitrio, nulliſque remediis retundatur, ægrotantes nullo dato leuaminis interuallo, ſæpiſſime ad quintum aut ſeptimum vſque morbi diem, dirâ cum anorexiâ & intolerabili anxietate diſcruciat. Eſt autem illa nihil aliud quam orificii ſuperioris ventriculi dolor & morſus, tunc ab alterutrâ duarum ſequentium cauſarum oriundus, nempe ab acri quodam humore in ventriculi capacitate latente, & os illius ſuperius erodente, vel à tetro malignoque peſtilentis ignis intus adurentis vapore, partem illam aliunde feriẽte. quod ſi à ſolo vapore proceſſerit, eadem omnino ratione tractabitur, quâ virium imbecil- *Cardialgia.*

litatem à veneni malignitate cor ipsum affi-ciente productam, restaurare docui. Si vero humor aliquis intus in ventriculo deli-tescens, siue is in ipso genitus & putrefactus, siue in ipsum aliunde, puta à cerebro, hepate, aut liene, emissus fuerit, tam molesti sym-ptomatis causam constituat, erit ille remedio accõmodato, vel per os, vel per aluũ, incun-ctanter educendus: per os quidem, si natura aliquo vomendi conatu sursum tendere videa-tur, per aluum vero, si ad vomitum difficilis sit æger, & interim quidam adsit ventris rugi-tus, atque nulla nausea, nullumque euomen-di desiderium vrgeat ægrotum. Si supra du-cenda videatur impuritas, illa leui mouebitur vomitorio; si infra, benigno expelletur cat-hartico. Vomitorii hoc erit exemplum.

℞ semin. attripl. ℥ß.
flor. aneth.
flor. genist. ana p. i. decoquantur simul in hydromelite ad ℥.v. colaturæ adde
succ. raphan.
ol. commun. ana ℥. i. fiat vomitorium.

Purgandi ratio pesti fugãda pe-culiariter ac-cõmodata. Pro catharactico sufficiet ʒi. pilul. Ruff. aut decoctio acetosæ cum toto ad dosim colata, in quâ infusa prius fuerint cum suis correctiuis folliculorum senn. oriental. mundator. ℥. ß. rhabarbari electi, si bilis in vitio sit, ʒii. si ve-ro pituita redundauerit, agaric. ʒii. ß. plus minusue vniuscuiusque horum, pro ægri æta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

ę, viribus, & temperamento, adiectâ tantum syrupi ſcuiuſdam laxatiui, phlegmagogi, melanagogi, aut cholagogi, (pro peccantis humoris qualitate] ℥i. aut ℥i ß. prout opus videbitur: non enim hâc in parte ea locum habent, quæ vel per vomitum, vel per ſeceſſum, humores magno cum impetu pulſant & eiiciunt. Per vomitum, propterea quod violenta ventriculi commotio, quæ vehementiores vomendi nixus inſequitur, vniuerſam corporis œconomiam turbat, vires magnopere deiicit, ipſumque ventriculum adeo interdum atterit, vt hic omnem inde deperdat ciborum appetitum, & eximiam tum retentricis, tum etiam concoctricis facultatis imbecillitatem contrahat: quod non abſque magno vitæ ægrotantis diſcrimine contîgit vnquam, vt quilibet ſibi perſuadere poteſt. Per aluum vero, primo quia tunc cathartica fortiora naturam nimis debilitant, ac proinde eandem ad euincendum hoſtem infenſiſſimum, morbum nempe, ineptam efficiunt. Secundo quoniam eam à functione, quæ, in expellendo ad cutis extima totius morbi fomite, conſiſtit, præter rationem auocant, cum potiùs eſſet adiuuanda. Tertio & poſtremo, in eiuſmodi catharſi motus fit à circumferentiâ ad centrum, natura verò expurgando peſtilentiæ veneno intenta, à centro ad circumferentiam tendit, atque adeo damnandus eſt ille, ſi tantillum violentus fuerit, quod natu-

Purgantia & vomitoria in peste benigna esse debent.

ræ ſit contrarius, cum potius deberet illi eſſe conformis & conueniens, vt ſupra docebam ex Galeno cap. 3. lib. 3. de criſibus. Melius eſt malum ab internis partibus ad externas abigi, quam ab externâ corporis ſuperficie ad centrum illius reuocari, iuxta Hippocratis effatum, in aphoriſ. 25. ſec. 6. *ſatius eſt intus foras, quam foris intra*: qui locus etiam ſi de eryſipelate tantummodo expreſſo ſermone diſſerat, de omnibus tamen affectibus internis eſt intelligendus, vt conſtat ex Hollerii commentario. Vnde nec vllum catharticum audent aliqui pari in occaſione præſcribere, ſed blandis duntaxat clyſteribus materiam, in ventriculo ſtagnantem, ab eo ad inteſtina ſenſim attrahunt, eamque demum ſimul cum fæcibus blandè nituntur expurgare; atque interim regionem ſtomachi roborantibus remediis extrinſecus tractant: quorum ego conſilio ſub hâc quidem conditione manus porrigo, vt nimirum ſi neque illuuies illa iteratis enematibus, neque dolor topicis admotis cedat, ab iſtis ad leue aliquod catharticum per os aſſumendum promptiſſimè tranſeant. Interea alimentum paucum & ſæpe exhibendum eſt, vt faciliùs & retineri & concoqui poſſit: atque idcirco neceſſe eſt, vt ſit facilis concoctionis, & aliquantulâ aciditate ſeu adſtringendi vi præditum. Eâdem viâ ad effrenatum vomitum compeſcendum procedi debet, & in victu &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

in remediorum vſu, quam ad ſedandam cardialgiam obſeruandam eſſe iam intellexiſti: antidotalibus nempe ſeu alexipharmacis remediis, vbi ille ab affecto ſuperiore ventriculi orificio, venenoſis nempe peſtilentis foci vaporibus imbuto, prodierit: vacuãtibus verò, quando cauſa illius humoralis eſt, & ipſam ventriculi capacitatem occupans: deinde etiã roborantibus externis & internis. Inter interna corroborantia optima ſunt, ſalia coralliorum & perlarum, ſpecies diarrhod. abbat. & aromat. roſat. atque etiam diatr. ſantal. ad robur hepati conciliandum, quod peculiatiter reſpiciendum eſt, quandoquidem ob viciniam, & operis (concoquendi nimirum functionis] ſimilitudinem, in affecti ventriculi ſympathiam abire ſolet: quæ omnia, vel ſeparata, vel ſaccharo aquâ theriacali diſſoluto commixta, ſimul excipiuntur, & in tabellas rediguntur. Pro externis erunt, fotus ſtomachicus, litus ex oleo abſynthii, vel cydoniorum, vel nucis moſchatæ, vel maſtiches; & emplaſtrum pro ſtomacho vulgo dictum. *Vomitus effrenatus.*

Periculoſiſſimum etiam alui profluuium, ſi ſtatim à morbi initio copioſè prorumpat: etenim naturæ motum ad externa tendentem [vt toties dictum fuit) impedit, ac vires magnopere deſtruit, & tamen veneni portionem aut nullam, aut valde exiguam vacuat. Huic itaque feſtino ſuccurendum eſt præſidiis modera- *Alui fluxus.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

tè adſtringentibus, leuiter detergentibus, & potenter roborantibus; his nempe per os exhibitis, illis verò per anum iniectis, præſcriptâ tamen prius victus ratione eoſdem ſcopos reſpiciente.

Clyſmata parabuntur initio ex lacte chalybeato, ſaccharo puluerato, & vitellis ouorum: in progreſſu vero componentur ex decocto radic. biſtort. herb. plantag. equiſcet. myrt. & burſ. paſtor. & iuglandibus, quod fiet in iuſculo carnium, adiectis in colaturâ & diſſolutis vitellis ouorum & ſaccharo, vt ſupra. Præterea comedet frequenter cydonia ſaccharo condita, & vinum multâ aquâ chalybeatâ dilutum pro potu hauriet ordinario, atque horâ vnâ aut alterâ ante ſingulos paſtus, aſſumet cochlear vnum pulueris ſpecier. diatr. ſantal. ſuperbibendo parum vini rubri nullâ aquâ diſcolorati. Quod ſi illis omnibus remediis fruſtra adhibitis, profluuium adeo perſeuerauerit, vt inde vires ægrotantis admodum cernantur collapſæ, videndum an deiectiones prædominantis intus & extra vaſatæ [vt noſtri loquntur Practici] bilis colorem & conſiſtentiam referãt, quo in caſu exhibendæ erunt rhabarbari torrefacti & puluerati drachmæ duæ ex iuſculo carnium, aut ex aquâ plantaginis aut acetoſæ.

Dolor capitis.

Vltimo loco inter ſymptomata quæ in *peſte* vrgere ſolent, poſuimus dolorem capitis into-

[to]lerabilem, quanquam & frequentiſſimus ſit, & periculo plenus, propter longas quas infert vigilias, & delerium quod accerſere conſueuit; imo vero inter accidentia quæ Medici curam potiorem, neglecto quaſi ad tempus morbo, poſtulant, recenſeri meretur: hinc enim meningum inflammatio & paraphrenitis, hinc ſpirituum animalium diſſipatio, & ſtupenda virium iactura proficiſcitur, quæ ægros plerumque ad extrema deducunt. Quamobrem ei ſedando diligenter incumbendum: cui rei non modo conducunt apta victus ratio & remedia pharmaceutica, ſed chirurgicæ operationes valde neceſſariæ ſunt. Imprimis itaque abſtineat ab omnibus cibis calidis, acribus, vaporoſis, caribaricis ſeu caput grauantibus, & eiuſmodi aliis: ſed vtatur ſolummodo refrigerantibus acidâ ſimul cum frigidâ qualitate præditis. Deinde videndum an à fumis tantum ſurſum ab inferiore regione eleuatis, & caput opplentibus, membranaſque eius internas acrimoniâ ſuâ vellicantibus, dolor committatur; an vero ab humoribus in ipſo capite latentibus: quod ſi ſoli delinquant fumi, alimenta & remedia paululum acria, per os exhibita, eorum aceruum inferiùs reuocabunt, fomitem reprimet, & ne alij de nouo ad cerebrum aſcendant, potenter impedient.

Tunc etiam admouendæ ceruici & ſcapulis cucurbitulæ ſiccæ, præmiſſis frictionibus &

pectinationibus aſperis, à ſincipite ad occiput extenſis. Aſt vbi cauſa humoralis eſt, primo conſideranda venit ægrotantis conſtitutio, perpendendum ſcilicet an biliosus ille ſit, an ſanguineus: [pituitam & melancholiam ſilentio hîc prætermitto, vt pote quæ tam dirum dolorem producere neutiquam ſolent, niſi forte per melancholiam, atram aduſtamue bilem intellexeris, quod ego non item] quod ſi bilis in eo magnopere redundantis aut manifeſtè prædominantis, atque eiuſdem ad caput raptæ, [ſiue hoc per metaſtaſim ſiue per epigeneſim contigerit] ſigna ſe prodant endictica ſeu demonſtratiua, tunc leui purgandum eſt cholagogo: ſi uero iuuenis robuſtus, rubicundus, & ſanguine repletus, de aperiendâ venâ ſtatim cogitandum eſt, & ſanguis audacter, nihilo aliunde repugnãte, ad modicã quãtitatẽ mittẽdus, dũmodo viriũ ſtatus ei ſit ferendo vacuationis generi: [ſed de phlebotomiâ in *peſte* celebrandâ ſequenti capite fuſius dicetur] eligatur autem vena cephalica, aut ſaltem mediana, eaque cubiti in directo lateris capitis magis dolentis poſiti; dextri vero, ſi dolor vniuerſum caput, vel vtrumque illius latus æqualiter occupet: ſed hâc vacuatione malum non auferente, tranſeundum erit ad ſcarificationes in veſtigiis prædictarũ cucurbitularum ineundas. Quod ſi illa omnia nihil omnino profecerint, & adſit aliquod delirij genus, dera-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

dendi ſunt capilli, & ſupra regionem ſuturæ coronalis applicandæ lotiones anodynæ, Demulcendis doloribus accommodatæ, quæ vel ex ſolo lacte, vel ex decoctione herbarum emollientium, ſemin. melon. & cucurbit. & capitibus papaueris, in quâ diſſoluitur ſi neceſſitas id exegerit, opii thebaici ℈j. aut ʒß. Vel re adhuc magis vrgente, admouebũtur loco lotionum, pulli columbini vel catuli recens nati, qui viuentes per dorſum ſecandi, ita protinus ſupra regionem prædictam admouendi, & ſæpe innouandi ſeu reiterandi. Atque hæc de curandâ *peſte* ſedandiſque ſymptomatis illius vrgentioribus, dicta ſufficiant: nunc de ijs agendum, quæ extrinſecus in cute apparentia, tam ardui negotii iudicium formare, aut iudicii vices gerere videntur, videlicet de bubonibus & carbonibus, atque etiã de purgatione & venæ ſectione in *peſte* vel admittittendis vel reſpuendis.

DE CVRATIONE BVBONVM ET CARBONVM PESTILENTIALIVM AC DE maculis in peſte per extimam cutem apparentibus.

CAPVT. SEPTIMVM.

VRgentiores omnes ſymptomaticos euentus, qui *peſtem* in quouis ægrotante pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

dire incipientem, aut comitari, aut prope subsequi solent, sedare, satis docuisse viderer si bubonum & carbonum pestilentium curam expressissem, isti namque συπτωματικῶς potius quam κριτικῶς erumpunt, quoniam exeunt in morbi principio, in quo nulla prorsus contingit crisis, ex doctrinâ Galeni lib. 3. de crisibus. Verum cum de curandorum illorum ratione nihil quicquam dictum fuerit in præcedentibus, operæ-prætium est vt hæc in posterum præcipiatur, ne scilicet quidpiam huic tractatui desit, quod à Lectore possit iure merito desiderari: atque hoc ipsum est, quod in hoc capite contendam, à bubonibus inccepturus.

Bubones pestilentiales in emunctoriis, cordis, hepatis, & lienis, nempe in lateribus colli, in axillis, & in inguinibus, intumescunt; atque adeo prima illorum differentia ex locorum in quibus se produnt varietate, desumenda est. Secunda petitur ex materiæ à quâ committuntur quantitate, vnde alii magni dicuntur, alii parui. Tertia ex humoribus in materiâ illâ prædominantibus, vnde alii phlegmonosi, &c. Quarta & postrema eorum differentia in diuersis quos gerunt moribus constituta est: hinc fit vt alii contumaces, maligni, & magnâ ex parte indomiti, alii minori pollentes veneno, mitiores dicantur, & curatu faciliores existant. Oriuntur autem (vt eorum causas attingam)

Bubonum prima differentia. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Bubonum causa.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

el ex spirituum simul & humorum inflamma-
one, quanquam prius inflammentur spiritus
uam humores, vel ex naturæ à veneni onere
imium oppressæ motu præcoci, quæ tunc
mne virus sibi magnopere molestũ, ad igno-
liora loca, qualia sunt emunctoria, depul-
re nititur. Quod attinet ad signa eorum dia-
nostica & prognostica, satis hæc in præce-
entibus capitibus fuerunt aperta; quaprop-
r istis nunc silentio prætermissis, ad edocen-
um ipsorum bubonum curam propero.

Statim apparente bubone pestilente, adhi- *Cura.*
eantur remedia interna superiori capite des-
ripta, & illico parti dolore & tumore affectæ
daptanda est cucurbitula sicca cum magnâ
ammâ, vt nimirum ab intus ad extra maior
romptiorque fiat veneni eductio: tunc ete-
im quo natura tendit eô maximè ducere
portet, vt sonat Hippocratis aphorismus 21. *Per cucurbitulam siccã.*
ec. 1. Quapropter si forte lento nimium gres-
u, etiam post adm[illegible]am cucurbitulam siccam,
d augendum tumorem procederet, quibus- *Cucurbitulas cum scarificationibus.*
dam scarificationibus erit hic attingendus, ad
maiorem nempe virulentiæ ad externas partes
attractionem. Cum verò satis elatus videbi-
tur, omni arte remolliendus, maturandus, &
ad suppuratum deducendus erit. Ad hoc autem
fœliciter præstandum, summè conducunt
cataphlasmata, ex omni pepticorum seu ma-
turantium genere conflata, puta ex simplici-

bus ecpyiticis, chalasticis, & malacticis, quorum alia partes in eo duras remollient, alia crudas decoquent, alia denique coctas in putrefactum & quasi in pus factum conuertent: quale hoc est.

Cataplasmata.

℞. radic. alth.
rad. lil. ana ℥ii.
herbar. malu.
bismal.
violariæ ana M. ii.
flor. chamæmel.
flor. melil. ana pug. ii. decoquantur simul in aquâ communi, deinde reiecto liquore teratur residentia, cui colo traiectæ adde
farin. semin. lin.
farin. semin. fœnugr. ana ℥iii.
stercor. columbin.
adip. anserin.
vnguent. basilic.
emplast. diachyl. gummat. oleo communi dissolut. ana. ℥ß.

Fiat cataphlaima, quod extend. supr. pann. lint. & admoueatur frequenter supra bubon. calidè. Vtuntur nonnulli cataplasmate parato ex radice lilii sub cineribus coctâ, tritâ, & mixtâ cum stercore columbino & axungiâ porcinâ. Alii solo diachylone gummato contenti sunt, alii solo galbano, alii emplastro parato ex calce viuâ sapone nigro exceptâ, & cum eo diligenter mixtâ; alii nihil præter ranunculum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

...itum, tum crudum, tum etiam coctum, bubo-
... applicant; alii denique vtuntur ad hoc cata-
...asmate, ex foliis acetosæ sub cinere coctis, &
...um adipe anserino mixtis, confecto: quibus
...ngulis non desunt qui Theriacam aut My-
...ridatium adiungunt, ad materiæ [vt aiunt]
...morem committentis venenositatem repri-
...endam. Ego vero nihil vnquam primo ca-
...aplasmate supra perscripto vtilius expertus
...um ad suppurationem accersendam simul &
...ccelerandam.

Vbi tumor acutam, rubram, & in medio
...ollem exhibet eminentiam, aperiendus est
...austico potentiali vel actuali, aut scalpello,
...rout ipsi placuerit ægrotanti, & immittenda
...n vlcus turunda vnguento basilico cooperta:
[neque enim tumorum pestilentialium aper-
...io, vt nec eorũ quæ virus aliquod malignum,
...ut venenositatem quamlibet in se continent,
...sque ad perfectam maturitatem est dif-
...erenda] cum vero illam maturitatem adeptus
...uerit bubo, non secus tractandus erit, quam si
...implex esset phlegmone, hoc excepto, quod
...tiam aperto bubone, persistendum est in ap-
...licatione cataplasmatis prædicti, aut saltem
...dyachylonis gummati, & in vsu turundæ, quæ
...quidem in fine debet esse plumbea & excaua-
...ta, donec bubo perfectè depletus omnino de-
...tumuerit.

Eadem fere est carbunculorum pestilentia-

Carbunculi & Bubones in quibus similes. lium doctrina ac bubonum : in multis enim inter se conueniunt; primo nempe in eo quod vtrique interdum magnam, nonnunquam paruam circumferentiam occupant. Secundo, quod alii aliis maligniores & contumaciores existant. Tertio, quod eorum similis propemodum extet causa, scilicet venenosæ materiæ ad cutem depulsio, vi naturę certantis acta. Quarto, in eorum diagnosi & prognosi, quas in præcedentibus (tertio nempe & quarto) capitibus recensui. Quinto, in vsu remediorum internorum diaphoreticorum simul & cardiacorum, statim apparentibus illis assumendorum. Sexto & postremo, in apponendarum illis scarificationum non absimili necessitate. Attamen in multis longè inter se *In quibus differant.* discrepant: imprimis enim bubones in emunctoriis duntaxat omne virus deponunt; carbones vero non item, sed quaslibet indifferenter *Obiectio.* cutaneas partes inquinant. Vnde obiiciet forsan aliquis cur carbones ad emunctoria tantum non restringantur, sicuti bubones; aut cur bubonibus non liceat quamlibet cutis particulam occupare, quemadmodum carbonibus, cum vtrorumque fomes in materiâ veneno inflictâ consistat, & expulsio ab eâdem naturæ irritatæ commotione promoueri so- *Responsio.* leat? Respondeo inflammari maximè spiritus in *peste*, quorum quidem inflammationibus peculiares sunt bubonum exortus

vt ipsæ

ipsæ simplices ephemeræ febres, bubones
inguinibus excitare solitę, satis superque
stãtur, quæ, cũ in simplici nullâque cũ putre-
ne aut venenositate iunctâ, spirituum excan-
scentiâ, focum habeant, bubones quidem
oducunt, sed eos vt nullâ malignitate præ-
tos, ita & sponte suâ recedere natos, nec vllâ
digentes ope medicâ. Quod autẽ spirituales
i affectus ad emunctoria potius quam ad cæ-
ras partes onus suum demittant, fit illud [vt
pra dictum est] ex certo & admirabili naturæ
m illam gubernantis arbitrio. Carbones verò
uamlibet obsident superficiei corporis partẽ,
opterea quod portio illa veneni quæ ad effi-
iendos carbones ad extima cutis abigitur,
assam sanguineam ingressa est, à quâ statim
l externas venulas, & ad cutem ipsam, ma-
no naturæ conatu detruditur. Secundo diffe-
nt in eo quod carbones escharrã efficiant, bu-
ones verò minimè. Tertiò & postremò quod
nnino diuersa sit eorum curandorum ratio, vt
x sequentium cum præcedentibus collatione
arissimè patebit. Carbonum autem cura hęc
t. Primò quamprimum se produnt. *Carbonum cura.*
℞. rad. lil.
rad. alth. ana ℥ij.
herbar. rut.
scabios. ana M. ij. decoquantur omnia si- *Per cataplasma.*
nul in aquâ, deinde reiecto liquore teratur re-
dentia, cui colo traiectæ adde vitell. ouor.

f

numero 3. fiat cataplaſma, quod extendatur ſupra pann. lint. & applicetur ſæpe ſupra carbon. calidè. Vel loco cataplaſmatis admouendæ ſunt cucurbitulæ cum ſcarificationibus, tuncque potiſſimum cum tumor liuidus eſt, & nó eleuatur, ſed ſanioſum quid exulceratâ cute ſtillare conſpicitur, vt plerumque fit, quando nimirum illius materia malignâ acrimonia prædita, nec in ſuppuratum abire idonea, obuias ſibi partes vellicat, erodit, & lacerat: attrahitur enim eo modo virus omne in tumore antea deliteſcens, & ad ſubeundã perfectam ſui euacuationem fit aptius. Quod ſi ſcarificationes propter dolorem quem inferre ſolent, abnuerit æger, eaſque nullo pacto voluerit admittere, duæ hirudines earum vices ſubibũt, quibus repletis & detractis, applicandum iterum ſequens cataplaſma calidè.

Cucurbitulæ ſcarificatæ. *Hirudines.*

℞. fulgin. camin. aut furn. quantit. ſufficient. excipiatur vitellis ouorum numero duobus, & adiecto ſalis momento, fiat cataplaſma admouendum vt dictum. Factâ eſcharrâ vtendum butyro recenti ſupra illam tamdiu iteratis vicibus applicando, donec tota deciderit: vel loco butyri poteſt tutò admoueri ſequens cataplaſma.

Alia cataplaſmata.

℞. adip. gallinac.
butyr. recent. ana ℥ij.
vitell. ouor. numer. 2. Miſce, fiat cataplaſma, admouendum vt dictum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Poſtea mundificandum eſt vlcus vnguento ægiptiaco, incarnandum vnguento aureo, & cicatriſandum vnguento deſiccatiuo rubro, aut emplaſtro diapamalte Paracelſi. Quod ſi deciſâ penitus eſcharrâ, vlcus malignitatem adhuc & contumaciam oſtendat, aliquot ſcarificationibus erit attingendum, & aquâ vitæ ſeu ſpiritu vini frequenter abluendum, ac denique detergentibus ſarcoticis & epuloticis prædictis ad perfectam curationem ducendum eſt. *Vnguenta.*

Eâdem pæne methodo tranctandæ ſunt maculæ purpureæ quæ in *peſte* nonnunquam ante ægrotantis appellentem obitum exeunt, quam de bubonis & carbonis curatione iamiam tradidi; cum enim illæ eſſenriam ſuam in veneno peſtilétiali à ſpiritibus ad humores propagato, & extra cutem à naturæ irritatæ conatibus detruſo, poſitam habeant, ac præterea ſanguinis portionem aliquã malignitate eſſe labefactatã, manifeſtè demonſtrent, ſicuti de bubonibus & carbonibus dictum fuit, omnis auferendarũ illarum opera, in expulſandâ ab internis partibus ad corporis ſuperficiem illarum materiali cauſâ, eâdemque extrinſecus ope topicorum auellendâ, conſiſtit. Hæc ſunt, cucurbitulæ cũ ſcarificationibus aut hirudinibus; illa verò, cardiaca ſimul & diaphoretica præſidia interna, ſupra multoties deſcripta. *Cura macularũ purpurearum.*

Quod attinet ad purgationem & venæ ſectionem, de quibus me quædam verba aliquando *De purgatione et venae sectione*

Vacuationes vniuersales in pestis curatione rarò & cum cautione praescribenda.

habiturum, nuper pollicitus sum; sciendum est imprimis, quod in nullo ferme morbi genere vacuationes vniuersales quæ arte prouocantur, maiori cum cautione excitari debent, quam in *peste*; quoniam scilicet natura integris viribus opus habet, ad hostem tam infensum tamque fortem aliquâtenus debellãdum, quas certè vacuantibus exhibitis remediis quodammodo non minui, impossibile est. Hinc fit, vt si purgatio & venæ sectio, in *peste* locum habeãt, ad prophylaxim sæpius quam ad therapiam adhibeantur, id est, iis potius exhibeantur qui *peste* vacui, eam contrahere aut metuunt, aut periclitantur, quam iis qui ipsâ correpti sunt, tametsi interdum etiam ad malum ipsum iam enatum methodicè curandum, vtraque, aut earum saltem altera, magnopere sit necessaria, ideoque saluis ægrotantium rebus vsurpetur. Etenim celebrandarum earum indicationes adeo plerumque prægnantes occurrunt, vt iis inficias iri vix possit. Primo quidem purgationem suadet & exposcit [vt ab eâ incipiam, quæ, si consultè præscribatur, cum minori virium dispendio tolerari ab ægrotante potest,) cacochymiæ cuiusdã effatu dignæ extra vasa positæ, & naturam vehementer opprimentis impetus: eandem verò contra-indicant, morbi fomitis in spiritibus aut vasis delitescentis malignitas & contumacia, naturalis ægri constitutionis infirmitas, puerilis ætas, vt & senilis, erumpẽtes

Purgationē quæ suadeãt in curatione pestis.

tumores prædicti, aut maculæ purpureæ apparere incipientes, quibus adde aliquas secandæ venæ indicationes peculiares, puta plethoricum corporis habitum, faciei rubo-rē, & sanguinis stilla è naribus, aut hæmorrhoidibus, aut vtero; & alias eiusmodi, de quibus infra dicetur vberiùs. Quod autem de purgatione asserui, idipsum de clysteribus acribus & vehementioribus, velut consecutione quâdã inferendum est, vt pote qui catharticorum vires æmulantur, & easdem pæne, ac ista, producunt noxas, si imprudenter aut intempestiuè præscribantur. Sed, inquies, quid in illâ indicationum repugnantiâ deliberandum? Omnia exactâ indagine consideranda sunt, percipiẽdumque an à neglecto illo remedio plus impẽdeat periculi, quam ab eodem celebrato vtilitatis speretur, an verò è contra. Atque his omni ex parte diligenti animo perpensis, eam indicationem insequi necessum est, quæ maiori pollet energiâ, & potioribus rationibus innititur: exempli gratiâ, si constantibus omnino viribus, & in primo *pestis* aduentu, rugitus in ventre ac dolorem in ventriculi fundo vehemẽtem, aut hypochondriorum tensionem, duritiẽ, & dolorem persenserit ægrotus, tunc purgatio leuis statim [etenim ex doctrinâ Hippocratis in Aphorismis, in principio si quid per catharsim mouendum tibi videtur, moue) imperanda est, tametsi illi non consentiant, robusta ægri con-

Quæstio.

Solutio.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

ſtitutio naturalis, morbi præcipuus fomes in ſpiritibus aut venarum humoribus contentus, & id genus alia. E cōtra verò vbi vires omnino deiectæ langueſcunt, ab omni generoſâ vacuatione penitus abſtinendum eſt, quidquid iſtam ineundam aliunde ſuggerat, atque à purgatione præſertim, ſi cum virium languore, vrgés quædam adſit, præſcribendorum cardiacorum aut diaphoreticorū, aut ſanguinis mittendi, neceſſitas. Quod ſi aliquando purgandū ſit in *peſte*, (vt inficias ire non poſſum] tunc medicamentis benignioribus eſt vtēdum, ſicuti in ſuperioribus duobus capitibus monui, & exequi docui. Hæc de purgatione, nunc de ſanguinis per inciſam venam detractione quædam proponenda veniunt.

Quanquam catharſis & phlebotomia diuerſa omnino ſint remedia, quod hęc vaſorum tantū redundātes, aut impuritate peccantes humores, per ſectæ venæ vulnus depleat, illa verò illuuiem extra vaſa ſtagnantem per aluū expurget: hoc tamen inter ſe, [ſicuti iamiam dixi) & cum omni vacuationis vniuerſalis arte efficiendæ genere, commune habēt, vt in quolibet morbo, viribus non ſufficientibus, neutiquam tentari debeant; potiſſimum verò in *peſte*, vbi virium robur ad excludendum virus internum adeo neceſſarium eſt, vt illo deficiente, vix tam maligno morbo poſſit æger vllo pacto reſiſtere; & animi deliquia adeo frequentia, vt neglectâ, ad tempus aliquod, cauſarum morbificarum de-

ructione, in roborando tantum corde, viribusque sustentandis intenti esse, sæpissime conamur. Ast si quando sese offerant mittendi sanguinis indicationes, [quemadmodum de purgatione dictum fuit) non est illi omnino, neque in ipsâ quidem *peste*, parcendum, dummodo & vires tam grande remedium tolerare facile possint, eique nihil sese aliâ ex parte opponat. Sũt autẽ indicationes illæ, præter faciei ruborem, habitum plethoricum, & robustam constitutionem, (de quibus supra] venarum inflatio distentioque manifesta, dolor capitis atrocissimus, febris vehemens, atque ea præcipuè quæ non in spiritibus tantum, sed etiam in humoribus, putredinis focum habere dignoscitur, & recurrentes cũ horroribus anadyploses seu reduplicationes patitur: ingens itidẽ partis alicuius inflãmatio, & ea præsertim quæ circa bubones & carbones prędictos incãdescit, iuuenilis ætas, cũ cõsuetudine vtendi eiusmodi vacuationis genere ad præcauendos morbos, incœpta à naturâ per sanguinis effluuiũ aliquod morbificę causæ depulsio, puta per nares, vterum & hęmorroides. Eandem verò prohibent, præter communem omnium vniuersalium vacuationum contra-indicationem, [nempe virium imbecillitatem] infantia & senectus, morbi malignitas in spiritibus sedem habens, tumores prædicti probè intumescẽtes, & paucâ inflammatione, nulloque terribili accidente

Sanguinis missionẽ in curatione pestis quæ suadeant.

Quæ eandẽ dissuadeant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

proprio ſtipati; magna ſanguinis vndecumque ſponte naturæ profuſi iactura, eaque præcipuè quæ vel malum probè correxit, vel vires magnopere deiecit: vomitus itidem frequens, ſuborta cardialgia, alui fluxus immodicus, ventris rugitus & tormina, aliæque eiuſmodi circumſtantiæ, quarum vis eſt ad præſcribendam purgationem Medicum mouere. Iſtæ autem quotieſcumque ita ſtrictè venam ſecari vetant, cum iis conferendæ ſunt, quæ eandem aperiri iubent, & tunc illis magis condonandum eſt, quæ maioris ſunt momenti, atque ad vires ægri conſeruandas, eiuſque deſtruendum malum, plus ſubſidii pollicentur, ſicuti ſupra de iis adnotaui, quæ purgationem vnâ ex parte ſuadent, ex alterâ vero eandem prohibent.

Nec tamen ſufficit mittendum eſſe ſanguinem, ex prædictis ſeſe offerentibus indicationibus iure merito concludere, ſed etiam, vnde & quando detrahendus ille ſit, noſſe, maximè conuenit. Quandocumque igitur ſanguinis miſſio ab habitu plethorico, aut faciei rubore, aut robuſtâ conſtitutione, aut à venarum inflatione & diſtentione, aut à febris vehementiâ [& illius potiſſimum quæ focum putredinis aliquē in humoribus deliteſcere præmonſtrat) aut à iuuenili ætate, & naturâ iteratis frequenter venarum ſectionibus aſſuefactâ, aut à quibuſdam earum, nihilo interim contradicente, Que vena perſuadetur, in flexione cubiti dextri phle-

botomandum eſt, dummodo dolor, aut inflammatio in ſiniſtro latere vrgens, aut lienis obſtructio, aut alia eiuſmodi affectio, ad ſiniſtrum bracchium confugere Chirurgum non cogat: & tunc eligenda eſt vena axillaris interna, baſilica dicta, quâ non apparente, aperietur mediana. Cephalica vero tunditur, vbi vacuandi ſanguinis neceſſitas, ex ſymptomate aliquo caput obſidente ſuboritur: At ingentes inflammationes quę circa bubones & carbones oriri ſolent, ſi forte ſupra regionem vmbilicalem poſitæ ſint, venas cubiti, ſi vero infra eandem erubeſcant, venas pedum incidi conſentiunt: quamuis rarum ſit, eiuſmodi ruborem carbones adeo pertinaciter comitari, vt ſanguinis vacuationem abſolutè poſtulet, niſi forte indicatio iſthæc, alias ex prædictis, ſibi ad remedium illud ſimul & ſemel expoſcendum iunctas habuerit: idque quoniam carbones eſcharram breui tempore efficiunt, cuius exortus phlebotomiam minimé ſuadere debet. Libentiùs hoc ſibi priuilegiũ arrogant, quæ bubones circũducunt empyreũata, & ego ipſe dum eos ardore illo circumuolutos, circa inguinum regionem exortos vidi, ſaphenam è directo inguinis afflicti poſitam, cum magno ægrotantium emolumento' ſecari iuſſi: baſilicam verò, quando malum iſtud axillas, cephalicam denique, vbi collum, occupabat. *in peſte ſecanda.*

Inter conditiones quæ ſanguinem in *peſte*

detrahere ſinunt, poſuimus conatum naturæ, morbi cauſam per aliquem ſanguinis fluxũ excludere tentantis: hæc autem ita ſe habet, vt non modo per phlebotomiam, verum etiam per approbatum omne vacuandi ſanguinis medium exonerari, in illis ocaſionibus expetat, nimirum per nares, vterum, hæmorrhoïdes, hirudines, & ſacrificationes; quæ quidem & venæ ſectionem æmulantur, & eiuſdem vices ſubire plerumque ſolent, ſi itaque dorſi lumborumque regio, puncticulis purpureis ſparſim ſignata conſpiciatur, cucurbitulæ ſecundum ſpinam vtrinque cum ſcarificationibus aut hirudinibus bene purgatis erunt admouendæ. Nihiloſecius vbi venæ hæmorroïdales extra anum ſeſe tumidas produnt, & non niſi paucillum craſſi aduſtique ſanguinis ſtillant, ſed interim cum inflammatione dolorem incutiunt, appoſitis ibi ſanguiſugis depleri quamprimum debent: ſi vero intus in inteſtino recto perſentiatur illa repletio, dolorque ibi vehemens adfuerit, ſaphena tunc erit incidenda, magnumque infligendum ei vulnus, vt craſſus ille ſanguis facilius exeat: quemadmodum etiam præſcribere [& quidem optimo iure] ſolent practici, quandocumque per vuluam ſeſe parcâ manu exonerat natura, vt nimirum quod iſthæc pro ſuâ debilitate, aut propter vaſorum anguſtiam, aut humoris excernendi craſſitiem, foras eijcere non poteſt, per ope-

Præſidia venæ ſectionis vicaria, quæ & quando in peſtis curatione adhibenda.

tionem illam chirurgicam partim euacuetur, artim verò ad vlteriorem eius euacuatio- em moueatur: tametſi antequam de illâ co- tetur, coxarum frictiones, & cucurbitularum ccarum applicationes ſupra eas ineundæ, in ſum venire debeant, vt ſi forte ad vterinum lum fluxum ciendum ſufficiant, ſaphena ne- uaquam tundatur.

Quod ſpectat ad narium hæmorrhagiam, uâ nihil in *peſte* frequentius contingit, quan- uam ſymptomatica ſit, ægros tamen inter- um leuat, intenſum capitis dolorem ſedando, ardorem internum temperando: ideoque ſi uando in exiguâ nihilumque adiuuante quan- tate ex ſe venerit, arte eam excitare prodeſt, uncque præſertim cum faciei rubor, febris cerba, ingens capitis dolor, & ægrotantis obur, habituſque illius plethoricus ſangui- em aliquâ ex parte euacuandum eſſe præmo- ent, atque etiam cum æger è cuius naribus ffluit ſanguis, ab omnimodâ venæ ſectione bhorret: qui quidem ſi ad eam ſubeundam aratus eſt, erit hæc nariũ irritationibus ante- ponenda: ſecus vero, priori methodo indul- gebitur, immiſſâ in nares ſiliginis ſpicâ ab om- nibus granis liberatâ, aut pulueribus ad id ac- commodatis, in eaſdem inſufflatis, aut ab ipſo ægroto per inſpirationem attractis. Atque hæc de *peſtis* naturâ, differentiis, cauſis, dia- gnoſi, prognoſi, therapiâ, & particulari pro- phylaxi; nunc de præſeruatione generali pro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

tractatus huiusce conclusione differendum.

DE PRÆSERVATIONE GENERALI A PESTE.

CAPVT VLTIMVM.

CVm præcautiones, à Medico aut Chirurgo pestiferos ægros attrectante obseruandas, proposui, multa equidem quæ ad generalem *pestis* prophylaxim pertinent, remedia, fuerunt in medium allata, sed tamen non omnia penitus attigi quæ tanti negotii perfectionem consequuntur: Etenim nec amuletorum gestandorum, nec pomorum odorandorum, compositiones, nec circumstantiæ quamplurimæ, quæ maximi sunt ad præcauẽdam *pestem* ponderis & momenti, ex præcedentibus clarè satis elucescunt: quapropter eas omnes hoc capite quam exactè pro modulo fieri poterit, indigitare cõtendam, vt nimirum dilucidiùs explicatâ partis illius [quæ therapeuticâ parte longè præstantior est] doctrinâ, opusculum istud quadamtenus absolutum dici mereatur.

Itaque quo-ad victum attinet, eâdem hic ratione poterit obseruari, quæ in sexto capite præscripta fuit, tam circa conuenientem do-

tus, potus, & ciborum electionem, atque
tum illis vtendi modum, quam accommoda-
m aëris qualitatem, integramque puritatem,
ecnon sinceram linteorum & vestium mun-
itiem, debitamque texturam, ac denique ani-
i hilaritatẽ omnis metus omnisque mœroris
xpertem. Confert etiam nuncupatas eodem
ipite cutis exulcerationes apertas gerere, eas
empe quæ admotis causticis inustæ fuerant,
: & vacuationes naturales, recto ordine, nec
iperfluâ, nec parciori quantitate prodeuntes,
ita eas quæ per aluum, vterum, hæmorrhoï-
as, virgam, aliasue eius generis quaslibet, na-
ræ arbitrio relinquere, nec vllâ ipsas arte re-
ænare aut commouere. Iuuat etiam non me-
ocriter quemlibet è domo mane egressurum,
, faciem, nares internas, aures, tempora,
ianus, & carpos, aceto æstate quidem rosaceo
luere: pro pauperibus verò sufficiet illud in
uo oxalidis folia macerata fuerint, vel etiam
mplex: sed hiberno tempore, vtendum aceto
fusionis radicis angelicæ Bohẽ. (aut nostratis
illa non sit ad manum) per frustula dissectæ,
lior. rut. incisor. & granor. iuniperi leuiter
tusorũ; cuius loco poterunt pauperes aceto
mplici, aut infusionis solorũ rutæ foliorũ vti.
d eundem vsum maximè conducit epithema
rdiacum solidum supra regionem cordis ad-
otum gestare, & singulis mane tantillum
heriacæ aut Mythridatii vino albo dissolu-

tum haurire, tribus scilicet horis ante omnem cibum & potum: vel loco earum confectionum assumere ℥j. opiatæ contra *pestem* meæ compositionis, supra descriptæ, per se, vel ex pauco vino albo, sed ieiuno ventriculo: atque etiam parum cinnamomi aut radicis angelic. Bohem. [nostratis vero sument pauperes] continuo mandere, & aliquando inter pastus tabellam vnam aut alteram, ex puluere contra *pestem* descriptione Bauderonij paratam, lambendo deglutire, quæ singula fusius in edicto capite docui.

Pauperes & auari, quorum aliis impossibile, aliis vero grauissimum est, tot confectiones, tabellas, opiatas, quantumuis fugandæ *pesti* dicatas, magno sibi prætio comparare: capient ad minimum alternis diebus, horis matutinis, & longè ab omni cibo, ℥j. theriac. vel vtentur sequenti præsidio.

Præsidium miræ virtutis ad pestem præcauendã.

℞. nuc. integr. & nullomodo conquassat. numero 40. proijciatur vna super prunas candentes, & quamprimum vstulata sit, semoueatur ab igne adhuc ardens, & ita ponatur in ollâ terreâ intrinsecus vitreatâ, in quâ habeas aceti optimi ℔. ij. proiice itidem, vre, & pone in aceto, alteram, deinde tertiam, quartam, & cæteras vsque ad prædictum numerum quadragesimum; comede singulis mane vnam ex illis nucibus, ita, vt dictum, vstis & maceratis, ieiuno ventriculo, & statim li-

quore illius infusionis, faciem, nares internas aures, tempora, manus, & carpos ablue. Potest mucum numerus augeri pro cuiusque libito, sed tunc liquor in maiore quoque dosi debet consistere. Quod si quis illud sibi remedium, aut prædicta quæ maioris sunt prætii, nec emere, nec ab alio mutuari, nec ipse sibi parare, præ quâuis ratione dignetur, hauriat saltem singulis mane longè ab omni cibo ℥iii. vini albi optimi, in quibus infusa fuerint aliquot oxalidis folia parum incisa, idque æstate: hyeme vero, cum herbę eiusmodi cardiacæ frigidæ non adeo virescunt, neque maiori ex parte tantum conducunt quantum calidę, accipiat folia rutę itidem incidenda & maceranda.

Alliorum vsus ad præseruationem à peste.

Mane recens orto comedat allium cum pane triticeo, & vinum paucâ aquâ dilutum superbibat: quamuis enim allium inter cibos praui succi recenseatur à Galeno cap. 3. lib. 1. de different. febr. nihilominus si quis in contagii pestilentis tempore & periculis, eo vtatur tanquam medicamento antipestilentiali, nihil à ratione alienum exequetur: Fateor quidem, allia in vsum quotidianum adhibita, & in magnâ quantitate assumpta, magnopere nocere, præsertim calidis naturis, & tempore ęstiuo, quoniam scilicet calidã intemperiem magis accendunt, humores inflammant eisque acrimoniam naturæ molestam infligunt: verumtamen si in *pestis* ingruentis periculo modicè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

sumantur, eximiè conferunt, vt pote quæ omnis ferme generis veneno fortiter aduersantur, ipsumque expugnare nata sunt: vnde mirum nemini videri debet, quod Galenus lib. de Theriacâ ad Pisonem allium vocauerit Theriacam rusticorum, & illud ipsum, non modo contra *pestem*, sed etiam aduersus canis rabidi, serpentum, & aliorum venenosorum animalium morsus, vtilissimum esse docuerit. Quod si quis allium respuat, vt permulti solent, præcipuè Lutetiæ, & in locis illi circumiectis, quemadmodum & per totam fere Germaniam, poterit ientaculi loco haurire ℥ß. aquæ vitæ, in quâ, nocte præcedente, macerata fuerint [vt de foliis oxalidis supra dictum fuit] aliquot grana iuniperi leuiter contusa: atque prædicti epithematis cardiaci solidi loco, amuletum sibi adhibere paratum ex paucil· rad. angelic. Bohem. & fol. rut. aceto prius maceratis, & deinde linteolo inclusis, quod collo appensum, & supr. cord. region. adaptatum, diu noctuque continuè gestabit.

Allium, vocatur à Galeno Theriaca rusticorũ.

Pollet aduersus omnis generis venena.

Summo fastidio habetur à Germanis & Parisiensibus.

Ast diuites, liberales, & ij qui cum largiore fruantur penu, nummis nequaquam parcunt, vbi *pestis* aut quiuis alius publicè grassatur naturæ hostis sanitatem minitatus, præter laudabilia remedia superiùs in hoc capite descripta, iis solis destinata, habebunt etiam si libuerit ad manum multa cardiaca, condita, extracta, & destillata, eaque potissimum, quæ à me in sexto capite

apite proposita fuerunt atque descripta. Insuperque collo appensos gerêt globos cauos ac perforatos odoriferis simplicibus refertos, vel manibus poma quæ vocant odorata, eaque frequenter naribus admouebunt: quorum præparandorum ecce exemplum.

Pomum odoratum.

℞. beniouin.
ladan. pur. ana ℥ij ß.
puluer. rad. ir. Florent.
rad, angelic. Bohem.
cortic. citr. sicc. ana ʒj. ß.
styrac. calamit. ʒj.
mosch.
ambar. ana ℈ß.
Zibet. g. vii. Misce excipiâtur omnia mucilagine gumm. tragacanth. aquâ rosac. extractâ, & fiat Pasta, de quâ formetur Pomum, quo vtendum vt supra.

Sed globuli prædicti, vel inserciri solent iis quæ pomi iam descripti compositionem ingrediuntur, vel frustulis radicum angelic. Bohem. ir. Florent. cyper. calam. aromat. adiectis cinnamo. cariophyll. mosch. ambr. & zibettâ: vel etiam sine istis. Nonnunquam verò solo replentur mercurio, (id est argento fluxili siue viuo, quod aduersus omnis generis venenatos virulentosque affectus vtilissimum perhibetur) aut etiam arsenico, aut vtroque, & tunc supra regionem cordis adaptati, cum aliquo interdum emolumento

Mercurij vsus aduersus venena & virulentiam optimus.

gestantur.

Diuitibus etiam licebit tum aquæ theriaca-lis, tum verò imperialis, aut vitæ, [præcipuè si frigidæ sint naturæ) cochlear aliquod mane & longè ab omni cibo haurire, aquam angelicam, aut naphæ, aut rosarum, aut caryophyllat. odorare, aut earum alterutrâ manus, carpos, aures, tempora, nares internas, & faciem vniuersam abluere: ac præterea suffitibus optimis, quales iam & parare, & in vsum adhibere supra docui, tum cubiculi aërem, tum etiam vestes & lintea, mane & serò singulis aut alternis saltem diebus munire.

Cap. 6. huius tractat.

Quod si alia minoris prætii, & paratu faciliora requirat aliquis, poterit super prun. candēt. inijcere solam styracem, vel beniouinum, vel thus, vel resinam, vel puluerem tormentarium, vel sulphur, vel grana iuniperi, vel fœnum, vel tabacum: vel comburere sæpius ligna pini, iuniperi, lauri, genistæ, vel quædam ex illis, sicuti in sexto capite obiter dictum fuit. Etenim eorum combustorum fumus infectum aërem purificat, seu inchoatam in eo corruptionem pestilentialem emendat & corrigit: atque insuper ignis eorum in flammas accensus aërem exsiccat, & conceptam in eo humiditatem absumendo, aut aliter malignam, quâ hæc forte imprægnata est, qualitatem corrigendo, appara-

Suffitus vilis prætii.

Lignorum odoratorum cōbustio vtilis in peste.

rum illius putredinem inhibet. Quâ de causa admodum magnum continuumque in cubiculis ignẽ vel ex prædictorũ lignorũ aliquo, vel ex alio saltẽ quolibet habere cõfert.

Interea vitanda sunt omnino, si fieri possit, loca *peste* infecta, & ædes in quibus vel ægri eo morbo recenter perierunt, vel eodem laborant, vt & illæ in quibus vel asseruantur supellectilia infectione pestilentiali iure merito suspecta, vel antea diu asseruata ab iis recenter fuere remota, nec vllæ postea in illis suffumigationes, aut irrigationes, ad depurandum illarum aërem idoneæ, peractæ fuerunt: ac denique illæ quæ domus alicuius infectæ vicinæ sunt, & in quibus aliquis se recipit, qui cum è *peste* iamiam conualuerit, vestes tamen & quisquilias aliquas, quibus dum ægrotaret, vtebatur, in illas attulerit.

Itidem nullâtenus accedendi homines *peste* correpti, neque colloquium cum illis, neque consortium vllum habendum est, etiamsi hâc illâc facile liberèque incedentes, sese malo illo intactos clamitent, & parum videantur ægrotare, vt plerumque solent nonnulli, qui è morbo tam contagioso conualescentes, præ magnâ misellæ sortis penuriâ, quæ illis ad vitam sustinẽdam necessaria sunt, nancisci, quo possunt labore, imo & præter vires suas, enituntur. Neque etiam eorum attrectanda cadauera qui vel *peste* obiere, vel

cãdem obijsse coniecturali suspicione creduntur.

Denique si dum prædicta præsidia in vsum adhibentur, venosum genus, vel internarum partium quælibet, aliquâ scateat impuritate, aut contumaci quâdam obstructione tentetur, tunc & vniuersalia vacuantia, nempe catharsis & phlebotomia, & particularia quoque partibus quæque suis peculariter dicata, (vt sunt Cerebro; Errhina, Sternutatoria, Apophlegmatismi, Masticatoria, Cucurbitulę, Setones, Fonticuli siue Fistulæ, Caustica, & Vesicatoria: Pulmonibus, Anacathartica: Renibus, & Vesicæ Diuretica: atque Vtero, Hysterica) in vsum adhibenda veniunt. Quæ quidem omnia hîc silentio prętermitto, quoniam vniuersalium descriptio, eorumque adhibendorum ratio, ex prædictis, nempe ex sexto capite toties à me citato, præparatio, & iisdem vtendi modus, in omnibus fere Medicinæ Practicis Authoribus clarè demonstrantur.

Vacuantia vniuersalia.

Particularia.

Porro ad *pestis* quoque Prophylaxim pertinet, Politica circumstantiarum quarumdam, in illius morbi periculis obseruandarum, descriptio. Idcirco non erit abs re, si per illam huicce tractatui finem imponam. Quocumque igitur in loco grassetur pestilentia, ibi tum Medici committuntur ad salutem ægris procurandam, & indicandas populo præcautiones, quibus ne malum quan-

Politica cautiones tempore pestis obseruandæ.

Medicorum electio.

opere solet in multos serpat, impediatur: tum etiam eliguntur Politici quos *Commissaires de la santé* vernaculo sermone nuncupant. Hi præscriptum ab illis in visendis, collocandis, & tractandis ægris, visitandis & inhumandis mortuis, aliisque contagii præcautiones spectantibus functionibus obseruandis, ordinem accipiunt, & quam cautè simul & fideliter possunt exequuntur. Illi aliquando inuisendis frequenter, palpandis itidem & omnimodè tractandis ægris *peste* infectis, ex pacto tenentur: quamuis sæpius munus illud soli soleant inire Chirurgi, aut Empyrici, Medici verò rationales, rarissimè. His autem quid tunc agendum sit, in præcedentibus duobus capitibus fusè declaraui.

Commissariorum nominatio.

Nota tamen quod interdum Medicis contingit, vt non adeo strictè deuincti, ad visendos & curandos: quâ illis cautione lubet, ægros veneno *pestis* adactos, aut eodem suffocatos, atque etiam ad indicandas prædictis ciuibus aut Politicis circumstantias, in obeundo periculoso quo funguntur munere obseruandas, solummodo constituantur, & reliqua ad ægrorum sanationem, sanorum præseruationem, & mortuorum visitationem atque inhumationem, aliasque eiusmodi intentiones spectantia munia, per Chirurgorum, & Pharmacopolarum ministerium præstent. Quod cum ita sit, videamus quænam

Veri Medici raro pestiferos attrectant.

ſint illæ cautiones, tam Medico ex propriâ mente, quam edictis Politicis ex illius præſcripto, ad peculiarem ſui & generalem plebis conſeruationem, obſeruandæ.

Prima eſt vt ægros viſurus, eos in aëre puro & bene perſpirabili collocari iubeat, è longinquo inſpiciat, puta quindecim aut viginti paſſibus ab iis remotus, & ita ipſe ſitus, vt quâ parte ſufflat ventus, ex illâ etiam eos alloquatur: namque ſi ex aduerſo poſitus eſſet, ægrorũ halitu, ad ipſum venti inſufflantis ope delato, facile inquinaretur. Deinde vt quam ſuccinctis poſſit interrogatis eos interpellet, vt eo citiùs periculũ effugiat. Eodem modo ſe geret peculiariter Medicus dum Chirurgo ad ægros tangendos conſtituto, adminiſtranda illis remedia imperabit. Quod ſi Pharmaceutica ſint neceſſaria, ſcriptis ea vt & victus rationem præſcribet.

Cautio peculiaris.

Vbi æger obiit, aut ita debilis eſt, vt non dicam pedibus ire, ſed ne ſtare quidem, imo neque è lecto ſurgere valeat, à Veſpillonibus ad mouendos *peſte* infectos conſtitutis, Gallicè *Crocs* aut *Corbeaux* dictis, à domo in quâ decumbit detrahi, & in locum ad ineundam illius viſitationem aptum adducendus eſt, ac deinde, ſi obierit, cadauer illius in commodiore ædium loco, vel in alio huiuſmodi cadaueribus recipiendis deſtinato, inhumandum eſt: vel ſi forte viuus adhuc ſuperſit, ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Ædiculas Gallicè *Huttes* vocatas, pestilentiæ tempore extra vrbem quamlibet infectâ illius rei gratiâ constructas, supra peculiarem, nec alii quam *pestis*, negotio inseruiētem currum, vna cum omni sua suppellectili vehendus. Semouendi itidem tum ab intactorum seu purorum consortio, tum etiam inter seipsos, illi omnes, qui cum infecto, siue iam emortuo, siue adhuc ægrotante, versabantur: imo & vicinis illius prohibenda cum quibuslibet puris hominibus communicatio, frequentia colloquia, societas, & priuatum omne negotium. Tunc etiam publicâ voce vniuersæ plebi indicandum est, quodnam periculum in adeundo quouis ex prædictis domicilio consistat, & proclamandum vt nemo eorum vllum ingrediatur, aut propius quam par sit accedat. Quod si æger, aut quilibet infectus, nullâ tamen adhuc ægritudine detentus, ob certas rationes & circumstantias, apud Gallos potissimum in vsum frequentiorem adhibitas, non ita facile ab ædibus in quibus diuersatur eiici possit, hæ saltem arctè sunt occludendę, & erga illum & integram eius familiam omnesque vicinos, easdem quas iam iam commemoraui prohibitiones, eademque iussa, poterit exercere Magistratus.

Ædiculæ reponendis ægris infectis dicatæ.

Currus vehendis ægris infectis peculiariter inseruiens.

Infecti in ædibus propriis arctè occludendi.

Statim atque perfectè conualuerunt ægri, in aliis eisque puris ædiculis & lectis, cum nouis vestibus & linteis reponendi sunt, vel si

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

in Xenodochium ablegati fuerint, cubiculum, lintea, vestes, & tectum, mutent oportet, nec prius in publicum consortium redeant, quam ibi quadraginta dies transigerint. Vicini itidem per idem temporis spatium, ab eâ, quâ primum infectas ædes egressi sunt, die numerandum, à publicâ societate abstinere debent.

Nota quod in visitandis tempore pestilentiæ mortuis, vt, an veneno illo suffocati, an verò alio morbo afflicti interierint, diiudicetur, solet error eximius à Medicis quibusdam, omnibusque fere Politicis functionem illam agentibus perpetrari, sæpius enim corpus exanime, etiam ipsâ terrâ frigidius, nullâtenus attrectare, imo nec prope accedere, nisi intremiscendo audent, cum tamen nullum ibi contrahendi veneni periculum lateat, modo eorum cadauera prius in ipso in quo interiere loco linteis ac vestibus omnibus denudentur, & ita nudâ cute longè ab eo remota, & in alio nullâ infectione suspecto, libero, puroque, tantillum temporis iacuerint exposita, & aquâ fugaci seu decurrente, nullâque infectione suspectâ, fuerint irrorata: eo namque pacto, quidquid contagii in externâ cutis superficie remansit, aëris illius liberi perflatione ventilatur, & aquæ irrigatione corrigitur.

Nota etiam, posse contagii venenum in

corporibus nostris initiatum, per dies aliquot delitescere, antequã vim suam pestiferam assumpto incremento prodat: vnde multos ipse vidi qui cum è loco infecto in purissimum se recepissent, depositis statim & combustis vestibus, linteis, aliisque omnibus quæ secum gerebant infectione suspectis, nec vllum in eo colloquiũ, vllamque viciniam cum impuris haberent, multis tamen post diebus ipsâ *peste* fuisse correptos: quoniam scilicet antea in edicto infecto loco semen *pestis* exceperant. Quod si quis mihi fidem adhibere non dignetur, videat Octauianum Roboretum de feb. peticul. cap. 19. *Obseruatio.*

Haud secus hallucinantur qui infectas ædiculas eduliaque & suppellectilia omnia quæ in iis reperiuntur, igni protinus dammanda putant, cum potius & ædes, & pars maxima eorum quæ in illis continentur, conseruari absque vllo contagii periculo possint. Ædes quidem, si statim atque desertæ sunt, à sordibus omnibus expurgentur, ventilentur, irrigentur, suffumigentur, ac denique accenso ex materiâ aptâ in singulis earum cubiculis magno & continuo igne, ad pristinam puritatem reducantur. Edulia verò, aliaque supellectilia, si cum priùs in liquoribus conuenientibus ebullierint, diligenter abluãtur, opportunè ventilentur, & suffumigiis accommodatis ab omni pestilentialis infectionis suf-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

picione illico liberenttur. Vnde turpiter errant, quicumque pannum laneum aut lineum plumis refertum, qui è domo *peste* infectâ ad rapidum fluuium deductus, & in illo immersus per multas septimanas delituerit, venenum ita in se aliquando retinuisse autumant, vt demum ex aquis detractus, illud ipsum contagio communicauerit: vt & illi, qui in veste relictâ, & in loco quantumuis puro repositâ, eandem luem per quadraginta annos asseruari posse asseuerant.

Ædium ab infectione concepta depurandarum ratio.

Imprimis igitur ædes à puluere, fimo, luto, telis aranearum, animalium stercoribus, aliâque eius generis illuuie liberandæ: deinde accensis in vnoquoque cubiculo lignis pini, aut quercus, aut iuniperi, aut aliis supra nuncupatis exsiccetur, & corrigatur aer in illis inclusus. Postea comburantur in iis quædam ex prædictis simplicibus, ad parandos suffitus *pesti* destruendæ aut præcauendæ dicatos, antehac multoties scriptis, nempe cortex citrii sicci, lignum aloes, thus, storax, beniouiuum, resina, sulphur, puluis tormentarius, fœnum, grana iuniperi &c. Sed muri & parietes insuper nouo adiecto cæmento debent incrustari, præsertim in interiore facie, eâ nimirum quæ cubicula respicit, aut saltem calce tantum aquâ communi dilutâ diligenter dealbari: pars verò lignea, omniaque supellectilia ex ligno aut aliâ solidâ compactâ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

que quâlibet materiâ confecta, vt & pecuniæ, aceto rosaceo, vel communi, vel aquâ saltem communi, expurgatis priùs eorum sordibus omnibus, ablui diligenter debent.

Ratio depurandi supellectilia ab infectione pestis suscepta.

Vestes & lintea in lixiuio cinerum sarmentorum aut quercus macerentur, & cum in eo bis aut ter ebullierint, toties in aquâ currente per aliquot dies reliquâtur, donec nullam remanentis in iis infectionis suspicionem exhibere possint. Attamen ea sæpius Vulcano consecramus, quæ vel ægris sanatis, vel etiã emortuis inseruiêre, puta vestes & integrum in quo decubuere lectum, aliaue supellectilia ex paleis, lanâ, serico, plumis, aut pellibus conflata, aut easdem materias in se includẽtia.

Quæ supellectilia igne consumẽda.

Ast frumenta & vina cæteræque eiusmodi reculæ, ad familiarum nutritionem & alios vsus asseruari solita, in aere libero, solo sternenda, diuque & noctu per aliquot dies exponenda, & postea in locum minimè suspectum transferẽda. Adde his suffitus prædictos quos supellectilibus omnibus, potissimum vero linteis, laneis, & sericeis vtilissimè solemus adhibere. Quod si plures eorum gratiâ desideraueris, consule Danielem Sennertum lib. 4. de febrib. cap. 5. Vbi notandum quod dum ædes, vel vestes, aut lintea, aut alia supellectilia suffumigãtur, ianuæ & fenestræ debẽt esse clausæ, aliâs verò perpetuò patêre, imo & ipsum tectum, præsertim erga Septen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

trionem & perflantes illius regionis vẽ-
ços, vt tum eorum ventilationibus, tum etiã
imbrium irrigationibus, & ſolarium radio-
rum aditu, perfectius deſtruatur contracta
communicandi contagii virtus. Hæc eſt ratio
præſeruandi in hoc euentu ædes & ſupellecti-
lia permulta ab incendio aliâs ineuitabili, &
periculoſâ concepti contagii communicatio-
ne: quam obſeruare recuſantibus ædium in-
greſſum & ſupellectilium vſum prohiberi, cõ-
ſultum eſt: & vtcumque ſit, debent locorum
Gubernatores; Conſules, Magiſtratus, Præ-
tores, Tribuni plebis, aliiue eiuſmodi rei po-
liticæ duces, inſpectores, aut iudices, præ-
dicta præcauendæ *peſtis* præcepta, populo per
miniſtros ſuos diligẽter indicare, atq; vt quã
eorum partem poterit, obſeruet, igneſque
frequentes in plateis (ac tunc præcipuè cum
ægri per eas aut vehuntur aut incedunt) ac-
cendat, ſtrictè imperare: ac denique dare
operam vt omnes domeſticę bellug iugulen-
tur, aut ſaltem in cathenas aliudue vinculo-
rum genus coniiciantur, præſertim verò fe-
les & canes, vt pote qui receptum & recon-
ditum in pilis veneni peſtilentis contagium
huc illuc transferendo, multas poſſunt infi-
cere familias. Quod ſi obſeruatis prædictis om-
nibus aut eorum parte maximâ, an ædes ſatis
purgatæ mundatæque fuerint, in dubium re-
uocetur: conſultum erit illud prius experiri,

Ignes in plateis accendẽdi.

Bellua domeſtica iugulãda, aut in vincula coniicienda.

quam aliquis contagii periculis exponatur. Hoc autem variis modis iniri potest, quorum tutiorem duntaxat & faciliorem hîc docebo.

Ratio explorandi an ædes ab omni infectione perfectè liberatæ sint.

Panes recenter cocti, & adhuc calentes, in plures partes frangi debent, & vespillonum ministerio in singula conclauia promptè immitti, ibique per 24. horarum spatium relinqui. Quod si statim ab illo temporis interuallo frustum panis aliquod putrefactum reperiatur, in illo conclaui aliquid veneneni pestilentis adhuc latêre, suspicandum est: sin minùs, & omnia frusta omnino sana conseruentur, contrarium censendum, nullum scilicet in illis ædibus superesse pestilentiæ vestigium. Si quis alias eius rei explorandæ methodos exposcat, consulat Sennertum cap. 5. lib. 4. de febribus. Ego interim hîc stationem faciam, nec plura de *peste* disserere animus est, donec aliquot Chymicorum antipestilentialium præsidiorum (quæ ab impostoribus Empyricis & Pseudo-chymicis nebulonibus, apud imperitum, credulumque vulgum pro secretis non reuelandis venditantur) componendorum methodum, & vires, experimento comprobauerim, vt ipsa proximæ editioni, si Deus dederit, subnectam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

INDEX IN CRISIOLOGIAM.

Numerus paginam indicat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

IN TRACTATVM DE PESTE.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

ERRATA SORDIDIORA inter imprimendum commiſſa.

In Criſiologiâ.

PAg.19.lin.6.leg.,*euacuatur: tertiò quæ recto ſit tramite: poſtea.* &c.p.30.lin.15.leg. infœliciter. p. 33. lin. 2. leg. aſperata. pag. 35. lin. 25. leg. decimoquarto. pag. 37. lin. 31. leg. declarentur. pag. 51. lin. 23. leg. *ſubito morbo.* pag. 53. lin. 1. leg. ſtricâ. pag. 57. lin. 26. leg. *atque is alÿs.* pag. 71. lin. 4. leg. Secundò. pag. 72. lin. 11. loco *idem* leg. *diem.* pag. 79. initio lineæ 13. leg. decimustertius. pag. 86. lin. 19. leg. *nuntiatur.* pag. 89. lin. 14. loco veteris. leg. vatis. pag. 92. lin. 5. leg. ἀρτίνοιν pag. 93. lin. 3. leg. iudicatione. pag. 95. lin. 1. leg. ſaltem. pag. 96. lin. 16. leg. λήθαργος. & lin. 19. leg. λάβη. pag. 99. lin. 21. leg. reiecit. & lin. 24. leg. Ἀβδηρίτοισι. pag. 100. lin. 8. leg. ἑβδόμη.

In Tractatu de Peſte.

PAginâ 7. lineâ. 24. leg. λοιμὸς. p. 9. lin. 15. leg. κατ᾽ ἐξοχὴν. pag. 14. lin. 10. leg. anathymiaſibus. pag. 17. lin. 10. leg. imperfectam. p. 18. lin. 24. leg. Sed. p. 20. lin. 2. leg. agitationem. & lin. 8. leg. purpureis. & lin. 24. leg. indagine. & lin. 28. leg. per os. p. 12. lin. 14. leg. omnibus. p. 23. lin. 17. leg. enaſcatur. p. 24. lin. 2. leg. delirium. p. 31. lin. 17. leg. fit. & lin. 22. leg. vrgeat. p. 32. lin. 18. leg. induxerint. p 37. lin. 27. leg. cõtrariũ. p. 38. lin. 21. leg. vrbium.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

40.lin.28.leg.prodijsse.p.46.initio lineæ.6.leg.tioni. g.67.lin.12.leg.febris.p.73.lin.3.leg. delirium. p.75. n.3.leg.lacte fiunt, vel&c.p.90.lin.8.leg.scarificatio- es. p.100.lin.19.leg. citato repeti potest. Particula- um verò preparatio &c. p.102.lin.10.leg.aduerso.p. 97.lin.1.leg.pecuniæ.



Extraict du Priuilege du Roy.



PAR grace & Priuilege du Roy, il est permis à CHARLES DE ROMATET Docteur en Medecine, de faire imprimer, vendre & debiter vne ou plusieurs fois, en tel volume & charactere, & par tels Imprimeurs ou Libraires que bon luy semblera, durant le temps & espace de six ans, à compter du iour qu'il sera acheué d'imprimer, vn Liure qu'il a composé, intitulé, *Crisiologia Medica &c. auec vn traicté de la Peste en Latin.* Et tres expresses deffences sont faictes à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'Imprimer ou faire imprimer, vendre ny distribuer lesdits *Liure & traicte de la Peste* sans l'adueu & permission dudict DE ROMATET, ou de ceux qui auront droict de luy, sur peine de confiscation des exemplaires qui auront esté mis en vente au preiudice des presentes, despens, dommages & interests, amendes arbitraires, telles que le cas le requerra enuers ledit DE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Romatet, ou de ceux qui seront en son lieu & place: Voulons & nous plaist qu'en mettant vn Extraict des presentes au commencement ou à la fin de chacun d'iceux Exemplaires, elles soient tenuës pour signifiées, & venuës à la cognoissance de tous comme si elles leur auoient esté notifiées, à la charge neantmoins de mettre deux exemplaires reliez en nostre Bibliotheque, auant pouuoir debiter les autres: Si mandons à nos Procureurs Generaux, à leurs Substituts & tous autres nos officiers, & à chacun d'iceux enjoignons, que du contenu en ces presentes ils facent iouïr ledit de Romatet, ou ceux qui auront droict de luy pleinement & paisiblement: Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris, le cinquiesme iour d'Apuril l'An de grace mil six cens trente cinq, Et de nostre regne le vingt-cinquiesme, Signé

Par le Roy en son Conseil.

LAFON.

Et scellé du grand Sceau de cire Iaune.


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1

Coll 11 . 31
4 quir. en 1 vol.
Cpt

VIII. 12. m 5025

1257

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4924/A/1